This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Class
WIDENER LIBRARY
HX PP7R 5
HARVARD UNIVERSITY LIBRARY

Class 1628.28

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics), or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books."

DE
DORIENSIUM COMOEDIA
QUAESTIONES

SCRIPSIT,

ATQUE EPICHARMI ET ITALICAE COMOEDIAE
SCRIPTORUM FRAGMENTA ADIECIT

CAROLUS IOSEPHUS GRYSAR,

GYMNASII COLONIENSIS AD RHENUM JESUITICI COLLEGA.

VOLUMEN PRIUS.

COLONIAE AD RHENUM,

ex officina typographica J. GEORGII SCHMITZ.

MDCCCXXVIII.

Class 1628.28

HARVARD COLLEGE
JUL 29 1920
LIBRARY

Constantius fund

(1)

Dr. F. WUELNERO,
Gymnasii Monasteriensis Collegae
C. J. GRYSAR S. P. D.

Quod saepius olim, quum contubernio academico quotidianos fere sermones conserere liceret, nobiscum conquesti sumus: iacent etiamnum in Graecarum litterarum historia multae et gravissimae partes aut omnino non pertractatae aut leviter modo tentatae. Atque haud nimium mihi dicere videor, quum tam parum aliquot certe rebus etiamnum esse provisum contendo, ut, quandoquidem meliora deficiunt, nonnulla te solus edocere queat Fabricius ille Harlesianus. Quanquam longe absum, ut mult-

litterarum Graecarum capita a viris egregiis felicissime esse illustrata non profitear. Sed multa quoque, opinor in his rebus superesse aut prorsus intentata, aut non satis pervestigata, quibus si curam aliquam adieceris, operae profecto pretium sis facturus. Plurimas enim, quas in litterarum historia incuria quadam praetermiserunt homines litterati, partes enumerare queam: sed unum huius rei exemplum apponere sufficiat. Nimirum de comoedia illa, quae inter gentes Dorienses effloruit et de Epicharmo, qui princeps eius poeta extitit atque emendator, parum profecto e libris nostris cognosse poteris. At dignissima tamen res haec erat, quae diligentissime investigata proponeretur tum ob suam ipsius praestantiam, tum ob nexum quendam, qui Atheniensium et Doriensium comoedias intercessisse videtur.

Qui vero ad Epicharmum operae aliquid contulerint, paucissimis tibi indicabo, ut et vere me iudicasse intelligas, neve, quibus ego subsidiis aliquid debeam, nescias. Atque ut ab ipsis Epicharmi reliquiis ini-

tium faciam: adhuc non extitit, qui satis eas illustratas et undique in unum aliquem centonem collectas ediderit. Etenim qui post Morellum in colligendis veterum comicorum fragmentis aliquam operam posuerunt, Henr. Stephanus, Jac. Hertelius, Hugo Grotius: ii singulorum poetarum fragmenta ita concinnarunt, ut, cum paucissima quaedam invenias, plura tamen desideres. Atque de Epicharmo haud scio an illi ita fecerint, ut illas tantum eius sententiunculas, quae philosophiae aliquid saperent, in libellos suos vellent receptos. Eiusmodi igitur versiculos, cum a Diogene Laertio, Plutarcho, Eusebio, Clemente Alexandr. allatos invenissent: plurimos fere describere illi quidem non dubitarunt; sed quae longe maior fragmentorum copia in libris Athenaei est, eam prorsus omiserunt. Haec igitur primus pertractare conatus est Casaubonus in notis, quas ad Athenaeum addidit. Et sane multa illum pro doctrina sua satis feliciter et illustrassc et emendasse non negabis. Sed idem multa quoque, quae

difficiliora ipsi viderentur, aut audacius atque ad arbitrium suum conformavit aut omnino deposuit, et pro emendationibus tam miserabiles de depravata Epicharmi reliquiarum conditione lamentationes edidit, ut sobrium quemvis ab emendandis illis deterrere queant. Qui vero post Casaubonum res istas depravatas denuo tentarunt: eorum coniecturas plerasque addidit suis ipsius in Athenaeum animadversionibus Schweighaeuserus. Neque nuperrimus Athenaei editor, Dindorfius, quaedam non bene emendata exhibuit. Sed post horum omnium curas multa et difficilia supersunt, multa etiam, quae sanationem omnino non admittant. Praeterea singula quaedam e singulis auctoribus petita data opportunitate pertractarunt in libris suis criticis viri doctissimi Bentleius, Toupius, Valkenarius, Hemsterhusius, Jacobsius, Hermannus, alii multi. Quorum subsidiis quemadmodum usus sim, altero volumine videbis.

De vita autem et scriptis Epicharmi quaedam disputavit Mongitorius in bibliotheca

Sicula tom. I. p. 180. seqq. Idem, quae a Bonanno, Fazello, aliisque de hoc argumento iam erant significata, composuit. Haec vero et paucissima sunt et negligentiae vestigia prae se ferunt plurima. Neque magis tibi satisfaciet vita Epicharmi conscripta a Vincentio Mirabello, quae inserta est libro, cui titulus: Dichiarazioni della pianta delle antiche Syracuse. Palermo 1717. part. II. p. 150. Multo diligentius, quam modo laudati, variorum de Epicharmo eiusque scriptis varias sententias in unum quasi acervum congessit Theoph. Harles. in Fabricii bibl. graec. tom. II. p. 298. cf. p. 440. Neque vero ille ipse in epimetro non satis indicasse videtur, quantum a plena et legitima rerum enarratione paucula illa sua indicia abesse existimaret. Peculiari denique commentatione res Epicharmias pertractare incepit J. B. Gailius, Gallofrancus, cuius libellum *sur l'Epicharme* libr. inscripto: Magazin encyclopédique red. par Millin. tom. IV. n. 14. p. 216. insertum reperies. Sed hic opere suo tam leviter est

defunctus, ut plura utique et meliora in Fabricii illa bibliotheca dicta habeas. Nuperrime vero Essendiae anno 1822 dissertationem de Epicharmo edidit Herm. Harles, qui quam parum iu hoc argumento explicando profecerit, iam alii satis superque monuerunt. His igitur omnibus non multum debere Epicharmum nostrum quivis videt. Jam vero hoc loco praetermittendus non est Od. Muellerus, qui libello suo: Die Dorier tom. II. p. 349.—361. de comoedia Doriensium pauca quidem atque in transcursu, sed elegantissima significavit. Reliqua autem subsidia, quibus aliquantum in quaestionibus meis adiutus sum, ubique summa religione indicavi.

At vero me, qui, quae alii vel peccaverint, vel non omnino perfecerint, audacius vituperem, ne ipsum quidem satis emendasse atque absolvisse fortasse monebis. Sed longe me alienum esse scias ab illa immodestia, qua omnino me satisfecisse arbitner illis, qui et plenissimam rerum enarrationem et argumenta earum

certissima desiderant. Imo vero si per preli leges irrevocabiles adhuc liceret: multa iam nunc adderem, multa emendarem, multa dicerem explicatius. Verum ea utique est litterarum nostrarum natura atque conditio, ut, quum novi aliquid quotidie discere debeamus, rerum antiquarum scientiam imperfectam esse nostram intelligere cogamur. Dixi igitur hoc meo libello contineri quaestiones, utpote quarum argumenta a me nondum absoluta esse significarem. Neque multis de rebus coniecturas tantum, quae plus minusve ad veritatem accedant, me protulisse negabo. Quanquam uti nusquam eiusmodi de rebus obscurioribus opiniones sine ullo fundamento posui: ita quae argumentis satis firmata essent visa, a meris coniecturis ubique ipse distinxi. Proinde alius quispiam me fortasse doctior et ingeniosior eandem materiem ita aliquando pertractare incipiat, ut omnia et copiosius enarrata et subtilius investigata exhibeat. Ego autem magnopere laetabor, si quis hoc tantum gloriolae mihi

nunc tribuerit, me, licet multa erraverim, aliquantum certe lucis rebus attulisse, quae hucusque omnino fere in tenebris delituerunt.

Rerum autem, quas priori hoc volumine pertractavi, hanc ego feci distributionem, ut prima quaestionum particula disserere inciperem de ludicris istis, saltationibus spectaculisque comicis, quae apud Megarenses, Sicyonios, Lacones, Italos, Siculos denique antiquitus fuisse usitata deprehenderam. Haec enim cultioris comoediae continent quasi origines atque semina. Quae ni aliquatenus certe habeas perspecta: ipsius comoediae cultioris inde exortae naturam, vix intelliges. Tum altera particula vitam Epicharmi enarratam exhibui. Cui quidem quin sententias eius philosophicas in ordinem connexas insererem, facere non potui. Tertiae denique particulae argumentum in eo posui, ut quae de comoediis Epicharmi dicenda esse viderentur, proponerem. Ac singula, quae tota complectitur disputatio, capita synopsi praemissa indi-

cata videbis. Altero autem volumine mox edendo quaestiones meas ita continuabo, ut quum quaedam de comoediae, quam veteres dicebant, Italicae natura atque conditione praemiserim, vitas Rhintonis, Blaesi et qui alii praeter eos illo comoediarum genere laudem aliquam sunt consequuti, enarrare incipiam. Tum denique et Epicharmi et Italicae comoediae poetarum fragmenta adiiciam, quantum subsidiis meis fieri poterit, emendata atque illustrata.

Sed iam tempus est, ut ad te ipsum convertam, mi Wuelnere, quocum et verissimae et dulcissimae amicitiae vinculis me esse coniunctum mihi gratulor. Hoc enim scias velim, me uti semper, ita nunc maxime tui et temporis, quod tecum in Alma Rhenana consumsi, iucundissimi memoriam toto animo repetere. Ac videor mihi denuo tecum esse, tecum colloqui, tecum rebus iocosis et seriis delectari. Sed, quod aliquando student amantes, qui metum omnem ac suspicionem deposuerunt, ut, quibus teneantur, vinculis, et alii vi-

deant: idem me diu agitavit desiderium. Inscriptum igitur tibi volo hunc libellum, qualiscunque demum est, ut et publice quoddam extet amoris erga te mei monumentum. Tu enim ipse tibi pro certo persuasum habes, vix quenquam inter homines reperiri, qui maiori, quam ego, amore et studio te amplectatur. Vale et me amare pergas.

Scribebam Coloniae ad Rhenum Cal. Januar. MDCCCXXVIII.

SYNOPSIS.

I.

DE DORIENSIUM COMOEDIAE ORIGINE ET INCREMENTIS.

II.

DE EPICHARMI VITA ET DOCTRINA.

III.

DE COMOEDIA EPICHARMIA.

CORRIGENDA.

Pagina.	Versu.	Corrige
5.	13.	δημαγωγῶν.
„	16.	ἐϛιᾶσθαι: in eadem littera saepius peccatum.
„	23.	plebem.
8.	3.	iocandi. litterae u, n, a saepius sunt confusae.
„	13.	summum.
10.	22.	disciplinae.
„	31.	proverbio.
12.	29.	irridendis.
14.	9.	μηχανὴν Μεγαρικήν.
21.	26.	Welker. Nachtrag. idem mendum quatuor praeter hunc locis deprehendes.
25.	15.	Illi enim, qui Satyrorum personas sustinebant, capitibus imponebant capillamenta quaedam, quae e rigidis porcorum setis contexta erant, ut etc.
28.	23.	quae.
32.	3.	inveniatur.
41.	12.	illis regionibus.
44.	30.	et Maenades.
50.	8.	propositam.
56.	11.	tituli et *Βακχίς* erant impositi.
58.	13.	ibi comoedia.
„	28.	Graeciae.
67.	19.	discrimen.
„	33.	continenter.
71.	8.	quis.
78.	24.	repugnare inter se.

Pagina.	Versu.	Corrige
84.	10.	Sicula.
89.	14.	invenies.
96.	22.	vita Elothalis.
98.	24.	continebatur.
99.	3.	velit.
111.	6.	divulgari.
117.	17.	ut illum ipsum.
132.	4.	ὅ τε.
140.	18.	denominatam.
156.	33.	innotuit.
199.	12.	picturam.
208.	21.	comoediis:
223.	27.	tamen.
228.	33.	docent, parum ille curasse videtur.
232.	20.	earum naturam.
235.	19.	autem comica.
244.	26.	dubitet.
245.	25.	Olympum.
255.	7.	habebant.
276.	29.	maxime contumeliis.
280.	13.	convivium.
297.	15.	Epicharmi.

Haec satis foeda, quae nimia quadam typographi festinatione in libellum meum illata esse doleo, indicasse sufficiat: leviora autem lector benevolus ipse corriget.

I.

DE DORIENSIUM COMOEDIAE ORIGINE ET INCREMENTIS.

Apud veteres controversia quaedam fuisse videtur inter Doriensium civitatum populos atque inter Athenienses, utris tragoediae et comoediae inventae gloria esset adiudicanda. Quam quidem litem cum complures veterum auctorum significaverint: tum Aristoteles loco omnibus notissimo commemoravit. Is enim poet. III, 3. iusto quidem brevius, ut solet, atque obscurius rem ita exposuit: *Διὸ καὶ ἀντιποιοῦνται τῆς τε τραγῳδίας καὶ κωμῳδίας οἱ Δωριεῖς. τῆς μὲν κωμῳδίας οἱ Μεγαρεῖς οἵ τε ἐνταῦθα ὡς ἐπὶ τῆς παρ' αὐτοῖς δημοκρατίας γενομένης, καὶ οἱ ἐκ Σικελίας. ἐκεῖθεν γὰρ ἦν Ἐπίχαρμος ὁ ποιητὴς, πολλῷ πρότερος ὢν Χιωνίδος καὶ Μάγνητος. καὶ τῆς τραγῳδίας ἔνιοι τῶν ἐν Πελοποννήσῳ ποιούμενοι τὰ ὀνόματα σημεῖον. οὗτοι μὲν γὰρ κώμας τὰς περιοικίδας καλεῖν φασιν, Ἀθηναῖοι δὲ δήμους, ὡς κωμῳδοὺς οὐκ ἀπὸ τοῦ κωμάζειν λεχθέντας ἀλλὰ τῇ κατὰ κώμας πλάνῃ, ἀτιμαζομένους ἐκ τοῦ ἄστεως. καὶ τὸ ποιεῖν αὐτοὶ μὲν δρᾶν, Ἀθηναίους δὲ πράττειν προσαγορεύειν.* Tragoediam hic ego mittam, quippe cui de sola comoedia disputare sit propositum. Aristoteles igitur suum de inventa comoedia iudicium ita comparavit, ut non disertis quidem ver-

his inventores eum praedicasse, sed Doriensibus tamen hac in re palmam detulisse quivis sentire queat. Atque quod postposuit Aristoteles argumentum a comoëdiae nomine petitum: id non magni faciendum esse arbitror. Aliter enim nomen istud explicandum et derivandum esse, nunc inter plerosque convenit. Cf. Müller Dor. tom. II. p. 351. Gravior autem argumenti pars, quae loci laudati initio continetur, ita explicari debet. Megarenses et Athenienses duplici, quo comoediam sibi vindicarent, argumento utebantur. Atheniensium enim nonnulli ad Susarionem provocasse videntur, quem alii τῆς ἐμμέτρου κωμῳδίας ἀρχηγὸν fuisse dicerent, — Cf. Dionys. Thrac. p. 748 — alii ipsam comoediam invenisse perhiberent. Cf. Marm. Arund. ep. 34. Clemens Alex. strom. I. p. 308. Diom. Gr. p. 486. Meinecke quaest. scaen. p. 3. 5. Cuius comoediae cum neque litteris essent perscriptae, neque ita artificiose conformatae, ut iustis eas fabulis adnumerare possent: — Cf. Bentley Phal. p. 258 seqq. — alterum illum advocabant, qui primus iustam comoediam litteris mandaverat. Eum autem fuisse aut Chionidem aut Magnetem, tum ex Aristotelis loco supra laudato consequitur, tum disertis verbis confirmatur a Suida s. v. Chionis. Cf. Wolf prolegg. p. LXII. Hermann ad l. l. Haec Atheniensium argumenta Megarenses, cumque iis Aristoteles, ea infringere conabantur, quod comica ludicra sibi iam ante Susarionis tempora fuisse et suos prius quam Chionidem iustas fabulas perscripsisse contendebant.

Utrumque iustissime dicebant. Nam Chionidi et Magneti ab iis opponebatur Epicharmus, quem

non tantum testatur Aristot. l. l. Athenienses illos diu antecessisse, sed comoediae artificiosius excultae inventorem fuisse omnis iudicavit antiquitas. Susario autem cum ipse origine Megarensis esset — cf. Aspas. ad ethic. Nicom. p. 53. b. Becker anecd. gr. II. p. 748. Bentley Phal. p. 261. — quae in patria viderat atque didicerat, postea ad Icarios transtulit. Ubi ludicra eius coniungebantur cum Dionysiacorum sacrorum cultu, qui tum temporis maxime in illo Atticae pago effloruisse videtur. Cf. Athen. II. p. 40. schol. Iliad. X. 29. Neque adeo fieri non potuit, ut is ipse, priusquam ad Icarios se conferret, in vico patrio artis ludicrae specimina quaedam exhibuerit. Certe eo pertinent Aspasii verba l. l. *διασύρονται γὰρ οἱ Μεγαρεῖς ἐν κωμῳδίᾳ, ἐπεὶ καὶ ἀντιποιοῦνται αὐτῆς, ὡς παρ' αὐτοῖς πρῶτον εὑρεθείσης, εἴ γε καὶ Σουσαρίων ὁ κατάρξας κωμῳδίας Μεγαρεύς.* Susarion igitur ut primus comoediam versibus inclusisse dicatur; idem tamen eam non omnino invenit, sed ad Megarensium ludionum exemplum conformavit. Ni enim id genus ludicrorum apud Megarenses iam ante Susarionem fuisset usitatum: profecto illi ad popularе imperium, quo exorto simul exorta esset comoedia sua, non provocassent.

Quale autem id imperium fuerit et quibus temporibus inciderit, id eo magis est inquirendum, cum Megarensium respublica diversis temporibus ita fuerit immutata, ut modo optimates, modo tyrannus, modo plebs repetita vice imperium obtinerent. Aristoteles quique eum sunt interpretati originem Megaricae comoediae cum licentia popularis imperii coniunctam fuisse significant. Sed

indicium temporis accurate definitum frustra exspectabis. Quod autem Hermannus ad. l. l. annotavit, esse illam populi dominationem Ol. LXXXIX. 4. dissolutam, eam viri doctissimi opinionem vix intelligo. Omnino enim illud plebis imperium, de quo loquitur Aristoteles, parumper certe antecedere debebat tempora Susarionis, qui inter Ol. L. et LIV. apud Icarios primum comoedias docuit. Cf. Marm. Arundel. ep. 34. Cum autem post Susarionis tempora optimates denuo Megarensium imperium obtinuissent, eoque iterum dissoluto consecutum esset illud, quod Hermannus significavit, populi imperium: ex eo certe argumentum, quo Atheniensibus inventam comoediam abiudicarent, desumere Megarenses non poterant.

Res Megarensium, quas hoc loco considerari oportet, hoc fere ordine sunt enarrandae. Plebem atque optimates lites agitabant iam ante imperium Theagenis, quippe qui inimicitiis, quas cum optimatibus contraxerat, plebis fiduciam et imperium obtinuerit. Inde Arist. polit. V. 4. 5. *Πάντες δὲ τοῦτο ἔδρων ὑπὸ τοῦ δήμου πιςευθέντες. ἡ δὲ πίςις ἦν ἡ ἀπέχθεια ἡ πρὸς τοὺς πλουσίους. Οἷον Ἀθήνησί τε Πεισίςρατος ςασιάσας πρὸς τοὺς Πεδιακοὺς, καὶ Θεαγένης ἐν Μεγάροις τῶν εὐπόρων τὰ κτήνη ἀποσφάξας, λαβὼν παρὰ τὸν ποταμὸν ἐπινέμοντας.* Id quando factum sit, incertum quidem est; sed, cum Theagenis dominationem Ol. XLII. incolumem fuisse sciamus, ante Ol. XLII. id fieri debuit. Narratur enim, Theagenem genero suo Cyloni, qui Athenarum arcem expugnare studeret, auxilia subministrasse. Cf. Pausan. I. 28. 1., 41. 2. Thucyd. I. 126. Quod factum esse Ol. XLII. docet Corsini

fast. Att. p. 64. Cfr. Heinrich Epimen. p. 17. 80. Postea autem Theagenes imperium amisit sive ab ipsa plebe, quam non satis fovisset, amotus, sive ab optimatibus, qui odissent eum, vi eiectus. Quando imperium eius ad finem sit perductum, aeque est incertum atque eius initium. Quanquam vero simillimum est, expulsum esse Theagenem circa Ol. XLIV. Cuius sententiae argumenta hic non repetenda protulit Meinecke quaest. scen. p. 4. Rem ipsam ita enarravit Plutarch. quaest. gr. 18. *Μεγαρεῖς Θεαγένη τὸν τύραννον ἐκβαλόντες ὀλίγον χρόνον ἐσωφρόνησαν κατὰ τὴν πολιτείαν. εἶτα πολλὴν καὶ ἄκρατον αὐτοῖς ἐλευθερίαν τῶν δεμαγωγῶν οἰνοχοούντων διαφθαρέντες παντάπασι τά τε ἄλλα τοῖς πλουσίοις ασελγῶς προρεφέροντο καὶ παριόντες εἰς τὰς οἰκίας αὐτῶν οἱ πένητες ἠξίουν ἑσιᾶσθαι καὶ δειπνεῖν πολυτελῶς, εἰ δὲ μὴ τυγχάνοιεν, πρὸς βίαν καὶ μεθ' ὕβρεως ἐχρῶντο πᾶσι.* cf. ibid. quaest. 57. Apparet inde, rempublicam Megarensium, cum optimates priscam eius formam restituissent, per breve tempus sapientia quadam fuisse administratam. Id enim volunt verba *ὀλίγον χρόνον ἐσωφρόνησαν.* Tum exorti sunt homines seditiosi, qui plebum effrenata licentia inebriarent et pristinas plebis et optimatium controversias denuo excitarent. Qui optimates cum plurimi omni iniuriarum genere afficerentur bonisque suis spoliarentur, ad fugam capessendam sunt coacti. Cf. Aristot. polit. V. 4, 3. Schneid. *Παραπλησίως δὲ ἐν Μεγάροις κατελύθη δημοκρατεία. οἱ γὰρ δημαγωγοὶ, ἵνα χρήματα ἔχωσι δημεύειν ἐξέβαλον πολλοὺς τῶν γνωρίμων, ἕως πολλοὺς ἐποίησαν φεύγοντας.*

Desunt certa veterum indicia, quibus popularis huius dominationis originem ad tempus satis defi-

nitum referas. Sed quum Theagene circa Ol. XLIV. expulso optimates breve tantum tempus reipublicae praefuissent: Ol. XLV. inter et XLVI. imperium ad plebem transiisse videtur. Nobilium autem, qui sensim sensimque a plebe in fugam convertebantur, ingens multitudo fuisse debebat. Nam cum postea undique convenissent in patriam reversi plebem pugna devicerunt suumque imperium revocarunt. Cf. Arist. l. l. Ita enim pergit: *οἱ δὲ κατιόντες ἐνίκησαν μαχόμενοι τὸν δῆμον καὶ κατέστησαν τὴν ὀλιγαρχίαν.* Cf. ibid. V. 2. 6. IV. 12. 10. Neque hic nobilium reditus quando evenerit, omnino definias. Sed, quibus aliquatenus harum rerum tempora definiantur adiumenta, e Theognidis vita et poematis repetere licet. Theognidem enim circa Ol. LIX. 4. floruisse apparet ex Hieronymi chronico, quocum consentit Suidas s. v. Qui cum Megaris e nobili gente originem duxisset, eum inter nobiles illos, quos a plebe fugatos dixit Aristot. l. l., fuisse vero est simillimum. Per exilii tempus in Euboea, Spartae, diutissime autem in Sicilia fuit. Cf. Theognidis v. 765. et seqq. Welker Theogn. p. XIII. Unde fortasse accidit, ut nonnulli uti Plato leg. I. p. 630. civem eum Megarensium in Sicilia dixerint. Atqui si eundem Suidam audimus, Theognis Ol. LXXII. in Sicilia erat, quippe qui eodem tempore elegiam in eos, qui in Syracusarum obsidione servati essent, conscripsisset. Cum autem e Sicilia abiisset, in patriam revertit et sententias ad Cyrnum confecit. Cf. v. 765. et seqq. Ergo exilium Theognidis post Ol. LXXII. finitum est. Inde autem sequitur, nobilium reditum, quem locis laudatis commemoravit Aristoteles. Ol. LXXII. aut paululum

antecessisse aut non multo post esse consecutum. Neque tum optimates, quod revocaverant, imperium diu sustentarunt. Multifariae enim factiones, et morum perversitas atque divitiarum nimia cupiditas populum ita agitabant, ut Theognis, qui rerum harum omnium spectator esset, de mala reipublicae conditione continuas querelas effunderet. Cf. v. 760. seqq. 885. seqq. 745. seqq. 735. seqq. et m. a. Cf. Welker Theogn. p. XIII. Mueller Dor. II. p. 166. Itaque denuo exortum est populare imperium tempore quidem incerto, sed omnino aliquanto post Ol. LXXII. Id autem permansit usque ad Ol. LXXXIX. 1. quo tempore optimatium dominationem restitutam esse refert Thucyd. lib. IV. 74. cf. V. 31. Quae omnia si recte disputata sunt, apparet, inter Ol. XLII. et inter Ol. LXXXIX. plebem apud Megarenses bis imperium obtinuisse. Quaeritur igitur, utrum populi imperium Aristoteles loco laudato significaverit. Atque, quod posterius i. e. post Ol. LXXII. extitit, ad id Megarenses provocare non potuisse sponte intelligitur, illo enim tempore iam Athenis iustae comoediae edebantur. Itaque extra omne dubium positum est, Aristotelis verba ad illam populi effrenem dominationem spectare, quae brevi post expulsum Theagenem exorta ad LXXII. circiter Olymp. est continuata. Cf. Meinecke q. scen. p. 4.

Quodsi per populare imperium expulso Theagene exortum comoediam extitisse contendebant Megarenses: id non ita est intelligendum, quasi prima eius initia non altius essent repetenda. Nam et antea Megarenses ad populare imperium erant propensissimi, et per ipsius Theagenis tyrannidem opti-

matium opprimendorum studiosissimi. Cf. Aristot. pol. V. 4. 5. Accedit quod iam antiquissimis temporibus Megarenses iocandi et cavillandi cupidissimi dicebantur. Id enim patefit omnino e dicto quodam Pittaci, quod in Anthol. Palat. II. p. 445. asservatum est. Ita ille: *Μεγαρεῖς γὰρ φεῦγε πάντας, εἰσὶ γὰρ πικροί.* Sed ioci isti atque cavillationes tum demum ad ludi publici rationes sunt conformatae, cum expulso tyranno et oppressis optimatibus id facilius fieri posset. Cum autem populare Megarensium imperium non multo post originem suam in summam licentiam degenerasset; haec quoque nova eorum ludicra ad summam petulantiae et audaciae modum sunt perducta. Quod cum circa Ol. XLV. i. e. aliquot Olympiadibus, antequam Susario ad Icarios pervenisset, fieri inceperit: hac quoque ex parte Megarenses inventae comoediae gloriam sibi iure vindicabant. Omnino autem cum Aristotelis indicio congruerent, si genuina essent, verba Aspasii l. l. *δείκνυται γὰρ ἐκ πάντων τούτων ὅτι Μεγαρεῖς τῆς κωμῳδίας εὑρέται.*

Sed misso hoc certamine Doriensium comoediarum rationes explicemus, et quidem ita, ut a genere Megaricarum, quod sine dubio erat reliquis praestantius, incipiamus. In qua re non tantum dolendum est, paucissima comoediae Megaricae indicia superesse, verum etiam pauca ista indicia ab ipsis Atheniensium poetis comicis ad nos pervenisse. Quod enim homines facere solent, ut, quibuscum in arte aliqua contendunt, eos eorumque opera contemnant, id Atheniensium poetas fecisse non iniuste aliquis suspicetur. Namque ut semet ipsos comoediae cultioris auctores praedi-

care possent, prisca illa Megarensium exempla ut rudia omnino despiciebant. Neque inimicitiae, quae utramque rempublicam diu intercesserant, efficere non potuerunt, ut Athenienses de Megarensium fabulis iusto severius iudicarent. Quanquam tantum abest, ut id genus comoediarum perfectum prorsus et absolutum fuisse arbitrer, ut, cum alia deficiant, in ipsis Atheniensium poetarum testimoniis maxime insistam.

Antiquissimum igitur, quod de Megarensium comoedia habemus testimonium Ecphantidis poetae comici vetustissimi, servavit Aspasius ad Arist. eth. Nicom. IV. 6. Sunt autem versiculi duo, quos Meinecke quaest. scaen. p. 5. e translatione Feliciani ita disposuit atque emendavit:

Μεγαρικῆς
κωμῳδίας ᾆσμ' οὐ δίειμ· ᾐσχυνόμην
Τὸ δρᾶμα Μεγαρικὸν ποιεῖν.

Ipsum Ecphantidem iam inter veteres Aspasius antiquissimum Atticae comoediae poetam fuisse iudicavit, neque inter recentiores deerant, qui eandem sententiam sequerentur. Cf. Mueller. Dor. II. p. 350. Verumtamen verior de aetate eius opinio, vixisse eum paulo ante Teleclidem et Cratinum, Aristotelis auctoritate nititur. Cf. Naeke Choeril. p. 52. Meinecke q. s. p. 12.

Maxime autem faciunt Ecphantidis versiculi illi ad cognoscendum nexum, qui Atheniensium et Megarensium comoedias intercesserit. Namque omnino negat Ecphantides, se carmen Megaricum proferre, atque ita se de fabulis Megaricis iudicare profitetur, ut simile quidquam edere ipsum pudeat. Quae de semet ipso sententia prolata sine ulla ratione

pronuntiata esse non potuit. Aut enim populus Ecphantidem incusaverat, ipsum Megarensium comoedias fuisse imitatum, quod iudicium ut refutaret, se longe aliter facere ostendit; aut cum multi poëtae aequales in fabulis suis Megarensium exempla sequerentur, suas longe a Megaricis esse alienas laudandi causa significat. Ipsas quidem Ecphantidis fabulas ita adornatas fuisse novimus, ut aequales quique eum sequnti sunt poetae comici contemtu quodam eas notarent. Unde fortasse accidit, ut, quod certo erat ignominiosum, nomen ὁ καπνίας ipsi inderetur. Cf. Hesych. s. v. Naeke Choeril. p. 52. Gaisford ad Hephaest. p. 97. Meinecke l. l. p. 13. At nomen καπνίας minus finitum est, quam ut inde colligere possis, nexum quendam inter Megarensium et Ecphantidis fabulas fuisse. Certius autem est ea de causa a veteribus fuisse vituperatos cum nonnullos alios illius aevi poetas tum Magnetem et Myllum. De quibus Diomed. Gramm. III. p. 486. Putsch. ita disputat: *poetae primi comici fuerunt Susario, Myllus et Magnes; hi veteris disciplina ioculatoria quaedam minus scite et venuste pronunciabant.* In qua sententia ioculatoria ista minus scite et ven. pronuntiata fere eadem fuisse videntur cum Megaricis fabulis, quales proponere Ecphantidem puderet. Quanquam negare non ausim, quod ex aliis de Magnete iudiciis efficitur, eius comoedias iis, quae ante Cratinum ederentur, omnibus aliquanto fuisse praestantiores. Cf. Meineke q. s. p. 12. Accedit, quod Diogenianus in proverbis γέλως Μεγαρικὸς affatim significat, Megarensium comoedias aliquamdiu in hominum deliciis fuisse. Profecto autem haec dicta sunt de

populis adiacentibus, nam de ipsis Megarensibus talia commemorare insulsum foret. Sed magis etiam miraberis, quod Aristophanis adeo temporibus erant, quibus Megarensium ioculatoria non displicerent. Ille enim in Vespis v. 51. contendit, se minime a Megarensibus poetis iocos esse furatum. Inde Aspasius l. l. καὶ γοῦν Ἀριστοφάνης ἐπισκώπτων αὐτοὺς λέγει που.

μὴ δ' αὖ γέλωτα Μεγαρόθεν κεκλεμμένον.

Quem locum scholiasta ita est commentatus, ut diceret, fuisse fortasse Athenis Megarensium poetas quosdam; quorum fabulas Aristophanes rideret. Haec enim habet ad vocem Μεγαρόθεν: ἢ ὡς ποιητῶν ὄντων τινῶν ἀπὸ Μεγαρίδος ἀμούσων καὶ ἀφυῶς σκωπτόντων, ἢ ὡς τῶν Μεγαρέων γελώντων καὶ ἄλλως φορτικῶς γελοιαζόντων. —

Quodsi Atheniensium comoedia ad Aristophanis fere tempora magis minusve ad Megarensium exemplum erat conformata: recte Diomedes l. l. priscum illum Susarionem veterem quandam disciplinam secutum esse dixit. Erat enim vetus illa comicorum disciplina non alia, quam quae inter Megarenses initium ceperat. Ut a vero non multum aberrare videamur, cum Megaricam talem fere, qualem Susarionis comoediam, fuisse statuerimus. Susarionem igitur primum versibus comoedias suas inclusisse iam supra commemoravi. Unde eas fuisse et praemeditatas et quibusdam argumentorum finibus circumscriptas iure collegit Meinecke q. s. p. 6. seqq. Qui sententiam suam hoc quoque argumento firmare poterat. Namque Ecphantides loco illo, quem supra ex Aspasio attuli, Megarensium comoediam versu priori quidem κωμῳδίας Μεγα-

ρικῆς ἄσμα sed posteriori δρᾶμα Μεγαρικὸν dixit. Ni enim tum temporis Megarensium comoedi certa quaedam argumenta fabulis suis exposuissent: profecto Ecphantides nomen dramatis iis non imposuisset. Idem dicendum est de Susarione. His autem consentit, quod anonym. de comoed. p. XXXII. tradit, Susarionem complures actores in scenam sine ordine certo induxisse, quod aliter fecerit Cratinus, qui eorum numerum, ad tres revocasset. οἱ περὶ Σουσαρίωνα τὰ πρόσωπα εἰσῆγον ἀτάκτως et paulo post de Cratino, τὰ ἐν τῇ κωμῳδίᾳ πρόσωπα μέχρι τριῶν κατέστησε. Habeat igitur hanc sibi laudem peculiarem Susario, quod primus sermone vincto ludicra sua proposuit: gravior inventi pars vindicanda est Megarensibus, quippe qui primi argumentum comicum nexu quodam et complures per actores edere inceperint. Sed haec artis suae initia vel postea ita retinuisse videntur Megarenses, ut neque polituram iis neque artificium adderent. Cf. Suidas s. v. γέλως.. Hinc iustissime dubitamus, num ullus comoediarum scriptor inter eos extiterit. Nam de Tolyno Megarensi, qui aequalis erat Ecphantidis et ab auctore Etymol. m. p. 761. metrum Cratineum invenisse dicitur, omnia sunt incerta. Neque enim, ubi is fabulas ediderit suas, explicabis, neque adeo eum comoediarum scriptorem fuisse constat.

Altera, qua insignis erat Megarensium comoedia, proprietas est summa ista in iridendis hominibus petulantia et nimia cavillandi cupiditas. Cum autem omne nimium vitio sit contiguum, facillime fieri potuit, ut ioci isti amissa festivitate et lepore frigidiores fierent et odiosi. Huc pertineat bini

quos servavit Aspasius l. l. Myrtili versus, qui in comoedia *Τιτανόπασι* ita de iocis Megarensium: *δεινῆς ἀκούεις· Ἡράκλεις· τοῦτ' ἐςί σοι τὸ σκῶμμ' ἀσελγὲς καὶ Μεγαρικὸν, καὶ σφόδρα ψυχρὸν γελᾶς, ὁρᾷς τὰ παιδία.* Vides irrisionem justo petulantiorem et Megaricam hic unam eandemque esse. Eodem modo postea Eupolis in *Προςπαλτίοις τὸ σκῶμμα ἀσελγὲς* et *Μεγαρικὸν σφόδρα* composuit. Cf. Gaisford ad Hephaest. p. 98. Molestos autem Megarensium iocos saepissime fuisse et insipidos affatim significat Myrtilus dicens eos *ψυχρὸν γελᾶν*. Quibus verbis commentator hanc addidit interpretationem: *διαβάλλονται γὰρ ὡς φορτικοὶ καὶ ψυχροί.* Cf. schol. Aristoph. vesp. v. 51. Quin etiam ridendi et cavillandi cupidine Megarenses ita innotuerant aut potius talem sibi contraxerant infamiam, ut ea proverbio Graecis usitatissimo notaretur. Nam *γέλως Μεγαρικὸς* dictio erat, qua tum irrisionem contumeliosam, tum insipidum iocandi genus designarent. Cf. Hesych. s. v. *γέλως*. Diogen. prov. IV. 88. Apostol. 6, 2.

Paucis hisce, quae de Megarensium comoediarum conditione disputavi, minuta quaedam de ornatu scaenico addi possunt indicia. Ea autem debemus Aristoteli, qui cum ethic. ad Nicom. lib. IV. c. 6. magnificentiam facile in luxuriem degenerare doceret, huius rei exemplum attulit, ab aliquo chorago petitum, qui ad eam theatri partem, qua chorus comicus introiret, exornandam vela purpurea adhiberet. *οἷον καὶ κωμῳδοῖς χορηγῶν ἐν τῇ παρόδῳ πορφύραν εἰςφέρων ὥσπερ οἱ Μεγαρεῖς.* Philosophus igitur ut novationem istam contemtu quodam designat: ita eam esse consuetudinem Me-

Magis autem, quae modo dixi, hisce confirmantur. Namque Maeso iste, quem coqui et servi personas et σκώμματα Μαισωνικὰ invenisse narrat Aristophanes Byzantius — Athen. lib. XIV. p. 659. a. — aut in ipsa Siculorum Megarensium urbe erat natus aut certe e Nisaeis Megaris in Siciliam pervenerat. De ipsa eius patria Aristophanes quidem nil apposuit, sed apud Athen. post locum laudatum haec addita reperiuntur: τὸν δὲ Μαίσωνα Πολέμων ἐν τοῖς Πρὸς Τίμαιον ἐκ τῶν ἐν Σικελίᾳ φησὶν εἶναι Μεγαρέων καὶ οὐκ ἐκ τῶν Νισαίων. Utrum Timaeus in libro, quem Polemo refutare studebat, Maesonem Nisaeum Megarensem dixisset nec ne, id loco allato Athenaeus non omnino significavit. Sed ponamus e Timaei sententia Maesonem fuisse inter Nisaeos Megarenses ortum: Polemo eum ita refutavit, ut sententia eius palmaria videretur. Quodsi Maesonem istum esse Siculum non vulgata fuisset opinio, profecto Athenaeus, quod facit aperte, eam non suam fecisset. Sed, quod iam supra significavi, fieri potuit, ut uterque auctor verum dixerit. Forsitan Maeso in Nisaeis Megaris natus sit, unde Siculum eum dixit Polemo. Quanquam haec maneat conjectura eo magis, cum certissimum sit, Maesonem comicas quasdam personas a se inventas in scena exhibuisse. Ita enim Athen. l. l. Χρύσιππος δ' ὁ φιλόσοφος τὸν Μαίσωνα ἀπὸ τοῦ μασᾶσθαι οἴεται κεκλῆσθαι, οἷον τὸν ἀμαθῆ καὶ πρὸς γαστέρα νενευκότα· ἀγνοῶν ὅτι Μαίσων γέγονε κωμῳδίας ὑποκριτὴς Μεγαρεὺς τὸ γένος, ὃς καὶ τὸ προσωπεῖον εὗρε τὸ ἀπ' αὐτοῦ καλούμενον μαίσωνα, ὡς Ἀριστοφάνης φησὶν ὁ Βυζάντιος ἐν τῷ περὶ Προσώπων, εὑρεῖν αὐτὸν φάσκων καὶ τὸ τοῦ θεράποντος πρόσωπον καὶ τὸ τοῦ

μαγείρου. καὶ εἰκότως καὶ τὰ τούτοις πρέποντα σκώμματα καλεῖται μαισώνικα. μάλιστα γὰρ εἰσάγονται μάγειροι σκωπτικοί τινες κ. τ. λ. Neque profecto reperietur quisquam, qui binas hasce dicacis coqui et servi personas unicas fuisse, quae ludicris Megarensibus proponerentur, arbitretur. Certo est enim certius, simul cum istis multas insuper alias personas histrionum illorum fuisse. Quae quidem maiori populi numero ita placebant, ut semper eas retineret, neque tum amitteret, cum Epicharmus politiorem comoediae formam effecisset. Eiusmodi personas statas indicari scias, si Athenaeus personas ebrii et parasiti iam in Epicharmi comoediis reperiri significat. Cf. lib. VI. p. 235. f. X. p. 428. f.

Superest argumentum tertium levius illud quidem, sed ita institutum, ut inde etiam perspici possit, quamdiu Nisaeorum et Siculorum comoediam nexus intercesserit. Id autem a scaenico ornatu repeti debet. Nam narrat Suidas s. v. Phormidem primum scaenam stragulis purpureis exornasse. Sed, ecce, eundem purpurae abusum Aristoteles cumque eo Aspasius in Megarensium scaena vituperarunt. Cf. Müller. Dor. II. 355.

Ut igitur gravissimum illum, quem ex Aristotele attuli, locum interpretari pergam: disertis ille verbis tradidit, non tantum Megarenses verum etiam reliquos Dorienses de inventa comoedia cum Atheniensibus contendisse. Licet enim huius rei laus quaedam praecipua Megarensibus tribuenda esse videatur: attamen vel apud reliquos Dorienses antiquissimis temporibus quaedam comoediae initia fuisse, e fine loci istius patefit. Quod ni verum

esset, qua ratione comoediae nomen in rem suam convertere potuissent? Neque si, comica ludicra iis abiudicaveris, insulsa tibi non videbuntur Aristotelis verba: *ὡς κωμῳδοὺς οὐκ ἀπὸ τοῦ κωμάζειν λεχθέντας ἀλλὰ τῇ κατὰ κώμας πλάνῃ ἀτιμαζομένους ἐκ τοῦ ἄστεως.*

Itaque apud Lacedaemonios, qui propriam gentium Doricarum indolem maxime prae se ferebant, varia quaedam ludorum scaenicorum genera erant usitata. Quanquam longe equidem absum, ut veram comoediam unquam apud eos editam esse arbitrer. Testimonium de Lacedaemoniorum ludicris gravissimum protulit Athenaeus lib. XIV, p. 621, d. *Παρὰ δὲ Λακεδαιμονίοις κωμικῆς παιδιᾶς ἦν τις τρόπος παλαιὸς, ὥς φησι Σωσίβιος, οὐκ ἄγαν σπουδαῖος, ἅτε δὴ κἀν τούτοις τὸ λιτὸν τῆς Σπάρτης μεταδιωκούσης. ἐμιμεῖτο γάρ τις ἐν εὐτελεῖ τῇ λέξει κλέπτοντάς τινας ὀπώραν, ἢ ξενικὸν ἰατρὸν τοιαυτὶ λέγοντα, ὡς Ἄλεξις ἐν Μανδραγοριζομένῃ διὰ τούτων παρίστησιν.*

Ἐὰν ἐπιχώριος
ἰατρὸς εἴπῃ, τρυβλίον τούτῳ δότε
πτισάνης ἕωθεν, καταφρονοῦμεν εὐθέως.
ἐὰν δὲ πτισάναν καὶ τρυβλίον, θαυμάζομεν.
καὶ πάλιν, ἐὰν μὲν σευτλίον, παρείδομεν.
ἐὰν δὲ τευτλίον, ἀσμένως ἠκούσαμεν.
ὡς οὐ τὸ σεῦτλον ταὐτὸν ὂν τῷ τευτλίῳ.

Ἐκαλοῦντο δὲ οἱ μετίοντες τὴν τοιαύτην παιδιὰν πάρα τοῖς Λάκωσι δικηλισταὶ, ὡς ἂν τις σκευοποιοὺς εἴπῃ καὶ μιμητάς.

Quod quidem ludicrorum genus *οὐκ ἄγαν σπουδαῖον* fuisse cum iudicaverit Sosibius, apertum est, et elocutioni polituram et artificiosam exposi-

tionem argumento defuisse. At eadem tamen multifariam ad veri dramatis rationes accedere debebant. Quod iam ex eo aliquis colligere possit, quod justarum fabularum actores, qui ab aliis *ὑποκριταὶ*, a Lacedaemoniis *δεικηλισταὶ* dicebantur. Cf. Plutarch. Agesil. 21. Lac. Apopth. p. 185. Apostol. prov. 15, 39. Sed satis insuper habemus indiciorum, unde huius ludi speciem aliquam animo informare possimus. Namque *δεικηλιστῶν* dramata in eo maxime posita fuisse videntur, ut hominum plebeiorum actiones modo ridiculo exprimerentur. Peregrini enim medici et pomorum furis personas non unicas fuisse, quas repraesentarent, quivis facile perspicit. Neque deerant ludionibus personae et scaenicus quidam ornatus; id enim e Sosibii verbis *ὡς ἄν τις σκηνοποιοὺς εἴπῃ* colligere licet. Atque vultum eos, habitum, gressum et sermonem aliorum fuisse imitatos, non tantum ex Athen. loco supra apposito, verum etiam ex hisce sequitur. Namque Hesychius s. v. *δεικηλιστὰς* et *μίμους* eosdem esse docet. Cf. idem s. v. *δείκηλον*. Suidas autem vocabula *δείκηλα* et *μιμήματα* componit et s. v. Sosibius *δικηλισταὶ* et *μιμηλοὶ*. Cf. Meurs. miscell. Lacon. l. III. c. 6. Quod autem maxime ad risum captandum et homines quosdam cavillandos ludum suum dicelistae instituebant; de ea re audiendi sunt scholiast. Apollonii I. 746. qui *σκωπτικοὺς* eos, et Eusthat. Il. p. 884. 23. qui *κωμικοὺς* eos fuisse tradunt. — Sed mimi potius quam versuum et dicteriorum recitatio partes ludi huius primarias obtinebant; unde *δείκηλα* in saltationum numero reponi possunt, dummodo vocem *ὄρχησιν* sensu veterum interpeteris. Namque *orchesis* a veteribus dicebatur

quivis corporis motus, quo vel hominis sensatio vel actio aliqua ludendi causa patefiebat. Itaque hoc nomine non tantum saltationes gymnasticae et sacrae, verum omne mimorum genus designatur. Non male igitur Manso Sparta I. 2. 177. dicelistarum ludum saltationibus mimicis adnumeravit. Utrum vero, quod arbitratus est Mueller. Dor. II. 344., ludi illi cum aliis saltationibus comicis ita fuerint coniuncti, ut alternatim ederentur, incertum est, neque e veterum locis, quos attuli, colligere fas est.

Saltatores fuisse δεικηλιςὰς istos eo etiam confirmare possis, quod Pollux IV. 14. 104. Laconibus saltationem quandam μιμητικὴν dictam fuisse commemorat. Quod quidem vocabulum cum Muellero l. l. in δεικηλιςικὴ immutare non ausim, propterea, quod ipsi adeo δεἰκηλἰςαὶ non raro μιμηλοὶ dicti sunt, ut a Suida s. v. Sosibius. Hanc igitur saltationem ita a Polluce l. l. descriptam habemus: μιμητικὴν δὲ ἐκάλουν, δι᾽ ἧς ἐμιμοῦντο τοὺς ἐπὶ τῇ κλοπῇ τῶν ἑώλων μερῶν ἁλισκομένους. Fortasse idem saltationis hoc est genus, quod ab Hesychio s. v. κλωπεὺς dicitur. Sed ecce, simile habes argumentum illi, quod a dicelistis repraesentari solebat. Ut enim hi eum, qui poma furatus esset, ita illi imitabantur eum, qui mensae fercula quaedam surripuisset. Quapropter non dubito, ad duas illas dicelistarum personas, quas Sosibius commemoravit, addere tertiam hominis, qui in ferculorum reliquiis auferendis esset deprehensus. Sed duo insuper alia saltationum genera ad hunc censum vocari possunt. Namque Pollux l. l. commemorat Hypogypones et Gypones, quin cuiusnam gentis ea saltationis genera fuissent, addiderit. Is

autem cum capitis initio de Laconicis gymnopaediis disputaverit, et deinde iterum de saltationibus Laconicis disserat: profecto, quae in medio illo loco sunt positae, ad Laconicas pertinent. Hypogypones igitur ita descripti sunt. *οἱ δὲ ὑπογύπωνες γερόντων ὑπὸ βακτηρίαις τὴν μίμησιν εἶχον.* Nomen ὑπογύπων cum verbo *κύπτω* ita cohaerere videtur, ut repetitum sit ab incurvato senum tergo, qui baculis innixi procedunt. Incertior autem alterius saltationis significatio est, quae a Polluce ita est adumbrata: *οἱ δὲ Γύπωνες ξυλίνων κώλων ἐπιβαίνοντες ὠρχοῦντο διαφανεῖ Ταραντινίδι ἀμπεχόμενοι.* Fortasse hoc quoque vocabulum a verbo *κύπτειν* est derivandum. Quod si recte fit, id saltationis nomen repetitum erat ab habitu quodam, quem saltatores aut imitarentur aut deridendum proponerent. Lasciva autem et admodum iocosa haec saltatio fuisse videtur; id enim e veste Tarentina pellucida, qua saltatores induti erant, atque e soleis ligneis, quibus incedebant isti, coniicere licet. Quod autem saltatores maxime mulierum speciem prae se ferebant, inde eam ad Bacchanalia quaedam pertinuisse apparet. Nulla enim in orgiis Bacchi frequentior erat et usitatior persona, quam ea, qua viri mulierum faciem atque ornatum gerebant. Cf. Welker. Anhang z. Tril. p. 220. seqq. — Unum superest, de quo dubitari debeat. Namque utrum ludicra illa, quae modo recensui, in theatris atque adeo a mulieribus fuerint edita, incertum est, neque ex argumentis, quibus hanc suam sententiam confirmare studebat Manso l. l., confici potest. Ipsum adeo Ulpiani testimonium quod in commentariis eius ad Midianam Demosthenis ora-

tionem me legere memini, omnes *γελοίας ὀρχήσεις* in theatris editas fuisse, minus definitum est, quam quod huc adhibendum esse censeam. Omnino autem saltandi ars nusquam fere tantopere in hominum deliciis erat, nusquam tam varia quam Spartae. Cf. Mueller. Dor. II. p. 333. Itaque Meursius in libro suo de orchestra p. 8—92. e Polluce, Hesychio, Luciano aliisque viginti fere saltationum nomina recensuit, quae Laconum propriae fuerunt. Plurimas vero alias, quarum patria non est indicata, apud Lacones fuisse usitatas certum ausim affirmare. Maior autem earum saltationum numerus, quas descripsit Meursius, non ad scaenicas, ut cum Athenaeo lib. XIV. p. 630. d. loquar, pertinebat, sed ad lyricas saltationes, quae in templis sive theatris ad deos colendos proponebantur. Quod licet sit certissimum, attamen omnes fere magis minusve erant mimicae. Inde factum est, ut idem grammaticus l. l. unum lyricarum saltationum genus, quae hyporchemata dixit, non dissimile esse comicae cordaci iudicaverit. Utramque esse enim iocosam. *ἡ δ' ὑπορχηματικὴ τῇ κωμικῇ οἰκειοῦται, ἥτις καλεῖται κόρδαξ. παιγνιώδεις δ' εἰσὶν ἀμφότεραι.*

Maxime autem comica sua *μιμήσει* ad dicelistarum ludos accessisse videntur hyporchemata illa, quae vel ipsis Bacchanalibus edebantur, vel ad Bacchicas personas pertinebant. Antiquissimis enim temporibus sacra Bacchica in Laconia erant instituta, eaque ut in omnibus fere Graeciae regionibus ibi summa cum petulantia celebrabantur. Quanquam me non fallit, hic aliam quam in terris Ionicis rationem verum Bacchicarum fuisse. Cf.

Böttiger. Ideen zur Arch. d. M. p. 180. seqq. Welker. Anh. p. 198. Spartae igitur Bacchi templum erat in pago Limnatum. Cf. Strabo lib. X. p. 468. Almel. Quanta autem fuerit petulantia aut potius insania, qua mulieres adeo in Orgiis baccharentur, significavit Aelianus v. h. III. 42. Cf. Perizon. ad Aelian. v. h. XII. 56.

De saltationibus, quae ad bacchanalia pertinuisse videntur, locus est gravissimus Pollucis IV. c. 14. *ἦν δέ τινα καὶ Λακωνικὰ ὀρχήματα δειμαλέα. σειληνοὶ δ' ἦσαν καὶ ἐπ' αὐτοῖς σάτυροι, ὑπότροχα ὀρχούμενοι. καὶ ἴθυμβοι, ἐπὶ Διονύσῳ.* Quodnam argumentum *ἰθύμβοις* his fuerit repraesentatum, neque quis fuerit ipsorum saltatorum ornatus, ab ullo veterum scriptorum est commemoratum. Unicum illud, quod praeter Pollucis indicium de hac saltatione innotuit, debemus Hesychio, qui s. v. *ἴθυμβος* et *γελοιαστής* eadem esse docet. Comica igitur et ridicula, ut omnia fere bacchica ludicra, et haec erat saltatio. Quare autem *δειμαλέαν* eam dixerit Pollux, incertum est, neque nisi coniecturae de ea voce proponi possunt. Meursius quidem latine eam dixit *formidabilem*. Forsitan ille arbitrabatur motus huius saltationis ita fuisse periculosos et feroces, ut spectatoribus terror quidam iniiceretur. Neque eiusmodi saltus apud veteres non fuisse, exemplis est edocendum, qualia et e scriptoribus antiquis et ex artium monumentis repeti possunt. Itaque Xenophon in convivio saltatricem quandam Syracusanam *τὴν κυβίστησιν* edidisse narrat, cuius quidem motus ita periculosi fuissent, ut convivae omnes timore corriperentur. *μετὰ δὲ τοῦτο κύκλος εἰσηνέχθη περίμεστος ξιφῶν ὀρθῶν. Εἰς οὖν ταῦτα ἡ*

ὀρχηστρὶς ἐκυβίστα τε καὶ ἐξεκυβίστα ὑπὲρ αὐτῶν. ὥστε οἱ μὲν θεώμενοι ἐφοβοῦντο μήτι πάθῃ. Cf. Meursii orchest. p. 45. Böttiger. Ideen p. 193. Ad simile quoddam genus ea saltatio, quam ξιφισμὸν dicebant, referenda esse videtur. Nimirum, qui eam saltabant, gladiis armati erant, et manibus extensis prosiliebant. Cf. etymol. magn. s. v. ξίφισμα, Meurs. p. 54. Quin adeo petauristae et funambuli non deerant; eorum enim motus depictos habemus in vasculis nonnullis. Cf. Millins. peintures tom. I. pl. 17., II. pl. 48. Tischbein. engr. III. 20. Herculan. Gemälde. III. 5. Böttiger. Ideen p. 195. et seqq.

Quae autem a Satyris et Silenis erat denominata saltatio, ad eam describendam suppeditant indicia veterum paulo copiosiora. Erat igitur haec saltatio Baccho sacra. Quod ni e loco illo, quem e Polluce supra attuli, affatim appareret: confirmari posset Diodori testimonio, qui H. lib. IV. 5. ita de Satyris: φάσιν αὐτὸν (sc. τὸν Διόνυσον) σατύρους περιάγεσθαι καὶ τούτους ἐν ταῖς ὀρχήσεσι καὶ ταῖς τραγῳδίαις τέρψιν καὶ πολλὴν ἡδονὴν παρέχεσθαι τῷ θεῷ. Cf. Aelian. v. H. lib. III. c. 40. Strabo lib. X. p. 717. Almel. Plato de legg. VII. tom. VIII. p. 376. Neque tantum in Laconia verum in omnibus Graeciae regionibus, cum Bacchanalia fierent, Satyrorum personatus erat frequentissimus. Cf. Casaubon. de poes. sat. p. 28. Welker. Anh. p. 227.

Hanc autem saltationem δειμαλέαν aeque atque ithymbos Pollux nominavit. Cuius rei accuratior explicatio forsitan contineatur verbis non omnino perspicuis ὑπότροχα ὀρχούμενοι, quae verba Muellerus Dor. II. p. 342. ita vertit, ut in orbem eos saltasse diceret. Equidem motus ferociores, quales Satyros

decent, et magis periculosos significari arbitror. Neque tamen in ferocia causa omnis erat posita, cur Plato legg. VII. tom. VIII. p. 376. hoc saltationum genus e republica sua exterminatum vellet. τὴν τοίνυν ἀμφισβητουμένην ὄρχησιν δεῖ πρῶτον χωρὶς τῆς ἀναμφισβήτου διατεμεῖν. τίς οὖν αὕτη, καὶ πῆ δεῖ χωρὶς τέμνειν ἑκατέραν; ὅση μὲν Βακχεῖα τ' ἐςὶ καὶ τῶν ταύταις ἑπομένων, ἃς Νύμφας τε καὶ Πᾶνας καὶ Σειλήνους καὶ Σατύρους ἐπονομάζοντες, ὥς φασι, μιμοῦνται κατοινωμένους. Satyri igitur et Sileni, et qui alii ad Bacchi thiasum pertinebant, hac saltatione ita repraesentabantur, ut ebrietate et, quae inde sequeretur, petulantia spectatores delectarent. Congruebat autem cum ludi ipsius festivitate ornatus saltatorum iocosissimus. Ille enim, qui Satyri personam sustinebat, capiti imponebant capillamentum quoddam, quod e rigidis porcorum setis contextum erat, ut, quantum possent, hircorum capita specie sua referrent. Hinc Dionys. Halic. VII. 72. τοῖς δὲ εἰς Σατύρους περιζώματα καὶ δορὰι τραγῶν καὶ ὀρθότριχες ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς φοβὰι και ὅσα τούτοις ὅμοια. Cf. Etymol. magn. p. 765. Hesych. *s. v.* τράγος. Welker. Anh. p. 213. Ipsam autem corporis partem inferiorem vel pelle caprina vel pantherina vel alio integumento, quo ferarum speciem induerent, cingere solebant. Inde Pollux lib. IV. c. 14. ἡ δὲ σατυρικὴ ἔθης νεβρὶς αἰγῆ, ἣν καὶ ἰξάνην ἐκάλουν καὶ τραγῆν, καί που παρδαλῆν ὑφασμένην. Cf. Euripid. Cycl. v. 80. Cf. Cuperi observ. II. c. 12. Qnem quidem ornatum recte Casaubonus de poes. sat. p. 60. ita est interpretatus, ut homines eo semiferinos repraesentatos esse diceret. Iucundior quidem sed aeque ridiculus Si-

leni ornatus erat Namque indutus erat tunica villosa, cui superimpositum erat pallium ita varium, ut e meris floribus contextum aut esset aut esse videretur. Dionys. Hal. l. l. σκευαὶ δὲ αὐτοῖς ἦσαν τοῖς μὲν εἰς Σειληνοὺς εἰκασθεῖσι μαλλωτοὶ χιτῶνες, οὓς ἔνιοι χορταίους καλοῦσι καὶ περιβόλαια ἐκ παντὸς ἄνθους. Pollux autem IV. 14. Χλανὶς ἀνθινὴ καὶ φοινικοῦν ἱμάτιον καὶ χορταῖος, χιτὼν δασύς, ὃν οἱ Σειληνοὶ φοροῦσι. Quaenam autem varii istius et florei pallii fuerit significatio, explicare conatus est Aelianus V. H. III. 11. Nimirum eo indicari ait vitium plantationem et racemorum atque uvarum felicem quandam ubertatem. Cf. Hesych. s. v. χορταῖος et χορτόβαμος. Meurs. orch. p. 77. Casaub. de poes. sat. p. 4.

Personas primarias his in saltationibus omnino sustinebant Satyri et Sileni. Verum si iis, quae Plato l. l. Lucianus de saltat., Strabo X. p. 717. Almel. referunt, fidem habes: non raro Satyrorum choris Nymphas et Panas immixtos fuisse concedes. Inde fortasse factum est, ut in vasculis nonnullis, quibus Satyri eorumque saltationes sunt descriptae, saltantes Nymphas saepissime invenias. Namque in universum tam variae erant Satyrorum istae saltationes, ut modum cuiusvis atque personas describere frustra satagas. Cf. Hancarville tom. I. pl. 43. Tischbein. IV. 57., III. 18., IV. 10. Böttiger. Id. z. A. p. 201. seqq.

Diutissime haec Satyrorum saltantium ludicra servabantur non tantum apud Graecos, verum etiam ad Italiae populos ea pervenisse videntur. Cf. Heynii Ant. Aufs. II. p. 70. Eiusmodi enim erant saltationes, quas commemorarunt et Horat. epist. II. 1.

et Virgil. ecl. V. v. Atque haud ego scio, an octava Virgilii ecloga, Silenus saltationi eiusmodi propositae originem suam quodammodo debeat. Namque inducit Silenum ebrium et floreis sertis exornatum et a Nympha quadam derisum. Quos autem pueros poeta dixit, Satyros esse quivis perspicit. Cf. Voss. ad. h. l. Atque ipsa, quae mororum rubro colore infucata est, Sileni facies, eandem quam Laconicorum saltatorum purpurea indumenta significationem habet. Inde quoque accidit, ut, qui in multis Italicis vasculis depicti sunt, Satyri et Sileni similem ornatum prae se ferant. Itaque adeo *μαλλωτοὺς χιτῶνας* istos in compluribus vasculis videre licet, uti apud Tischbein. I. 35., 45., 46., II. 32. Millingen. Peintures de vases antiques I. n. 21. Quin ipsae pantherarum pelles in nonnullis significantur. Cf. Tischbein. II. 49. III. 14. Millin. ad peintures tom. II. p. 112. Böttiger. Ideen p. 200.

Lyricis adnumeravit Athen. XIV. c. 28. pyrrichen quoque saltationem, quae erat aqud Lacones et antiquissima et celebratissima. Qua quidem initio cum tibiarum cantu et carminum decantatione pugna quaedam ab armatis pueris edebatur. Quam mimice id fecerint, id optime declaravit Plato de legibus VII. p. 817. Ea ipsa de causa haec saltatio a nonnullis dicta est *χειρονομία*. Cf. Athen. l. l. Plutarch. symp. VIII. q. 15. Laconibus autem ea praevia belli exercitatio videbatur; quapropter iam a pueris quinquennalibus addisci solebat. Cf. Athen. lib. XIV. c. 29. Meurs. orch. p. 60. seqq. Sed degeneravit aliquando Pyrriche illa severior in Bacchicum quendam ludum, quem Athen. l. l. ita descripsit: *ἡ δὲ καθ' ἡμᾶς πυῤῥίχη*

Διονύσια. καί τις εἶναι δοκεῖ, ἐπιεικεςέρα οὖσα τῆς ἀρχαίας. ἔχουσι γὰρ οἱ ὀρχούμενοι θύρσους ἀντὶ δοράτων, προΐενται δ' ἐπ' ἀλλήλους καὶ νάρθηκας καὶ λαμπάδας φέρουσιν· ὀρχοῦνται δὲ τὰ περὶ τὸν Διόνυσον καὶ τὰ περὶ τοὺς Ἰνδοὺς, ἔτι δὲ τὰ περὶ τὸν Πενθέα. Hanc profecto pyrrichen respexit Eustathius quoque, cum ad Iliad. II. 938. Dionysum eius inventorem esse diceret. Atque bacchica non tantum, verum etiam comica haec saltatio erat, quippe quae alio looo Athen. lib. XIV. p. 630. f. ταῖς ὀρχήσεσι γελοίαις sit adnumerata. Quonam autem tempore et quem apud populum bellica ista in novam hanc pyrrichen degeneraverit, incertum est quidem, sed vero simillimum, ipsos Lacedaemonios huius novationis fuisse auctores. Neque ex toto illo Athenaei loco non prodit, serioribus temporibus antiqua illa prorsus abrogata, bacchicam tantum pyrrichen fuisse servatam.

Erant enim apud Lacones ludicra Bacchica tantopere in hominum deliciis, ut ea non raro cum festis et pompis severioribus coniungerentur. Cuius rei argumentum luculentum habes in γυμνοπαιδείαις, que feriae erant apud Lacones splendidissimae. Hoc enim vocabulo non saltationem quandam singularem, sed dies festos esse intelligendos complures veterum disertis verbis tradiderunt. Cf. Hesych. s. v. Pausan. Lac. c. II. 9. Partem autem festi praecipuam efficiebant saltationes gymnopaedicae, quae a nudis pueris, dum ab aliis paeanes canebantur, in foro proponi solebant. Cf. Meurs. orch. p. 11. Sed, ecce, Athenaeus XIV. p. 631. c. complures gymnopaedicae modos fuisse tradit, quorum duo ab ipso allati ad Bacchanalia

pertinent. τρόποι δ᾽ αὐτῆς οἵ τε ὠσχοφορικοὶ καὶ οἱ Βακχικοὶ, ὥστε καὶ τὴν ὄρχησιν ταύτην εἰς τὸν Διόνυσον ἀναφέρεσθαι. Oschophoricos quidem paululum dilucidarunt Photius lex. s. v. et Beck. anecd. p. 318. Cf. Plut. Thes. c. 21. Namque apparet e locis allatis oschophoriorum festo pueros, qui mulierum personas agerent, e Bacchi templo in Minervae Sciradis aedem processisse. Erat iis quoque genus thyrsorum quoddam, nam manibus suis racemos atque uvas quatere solebant. Ergo et in his feriis partem ludicrorum Bacchus sibi vindicabat.

Sed revertendum est ad illud ludorum genus, quod Lacedaemoniis Dicelistis proprium fuisse supra ostendi. Id enim per omnes fere Doriensium civitates divulgatum fuisse videtur. Atque licet non omnia omnibus locis ad eandem rationem essent conformata: attamen id quasi commune cum Lacedaemoniorum δεικήλοις habebant, ut vel deorum vel hominum speciem aliquam ratione scaenica repraesentarent. Rem ita edocuit Athenaeus XIV. p. 631. f. τοῦ δὲ εἴδους τῶν δεικηλιστῶν πολλαὶ κατὰ τόπους εἰσὶ προσηγορίαι. Σικυώνιοι μὲν γὰρ φαλλοφόρους αὐτοὺς καλοῦσιν, ἄλλοι δ᾽ αὐτοκαβδάλους. οἱ δὲ φλύακας ὡς Ἰταλοί. σοφιστὰς δὲ οἱ πολλοί. Θηβαῖοι δὲ τὰ πολλὰ ἰδίως ὀνομάζειν εἰωθότες ἐθελοντάς. Plerique igitur, nam apud plerosque hoc genus comoediae erat usitatum, ludiones ipsos σοφιστὰς dicebant. Quod sine dubio iustissime ii faciebant. Hoc est enim vero simillimum, et ipso eo nomine significatur, ludiones in argumentis inveniendis et variandis aliquantum ingenii prodidisse. Eosdem autem iocos suos non praemeditatos esse et supra

quae Tischbein. I. 41. 44. adumbravit. Cum enim id genus vasculorum apud plerosque Doriensium populos invenitur, aut certe in reliquis Doriensium oppidis ludiones quidam Sicyoniorum phallophoros imitarentur: facillime fieri potuit, ut phallophororum pompa in vasculo aliquo depingeretur. Cf. Boettiger. Id. p. 202. Itaque phallophoris istis persona propria non erat; sed indumentum, (προπόλιον ἐξ ἑρπύλλου) quod e serpyllo contextum erat, prae facie gerebant. Nimirum os suum ita contegi volebant ludiones, ut a spectatoribus cognosci non possent. Huic autem oris involucro impositum erat textum alterum, quod compositum erat e foliis quae παιδέρωτες, vulgo acanthi dicebantur. In summo vero capite eminebat sertum violarum et hederae densissimum.

Quod vero πρόσωπον τωθαστικὸν in vasculi supra laudati figuris nonnullis se invenisse putat Boettigerus: ea non est persona, sed vera phallophororum facies. Eam enim illi ita deturpabant et distrahebant, ut quantum possent risum moverent. Huiusmodi enim sannas eorum significavit Athenaeus, voce ἐτώθαζον. Sed vestem, qua amicti erant, Semus καύνακας dixit. Haec est subucula illa Persica, quae curta admodum et pelle ferina praetexta femora vix contingit. Commemoratur ea ab Aristophane in Vespis v. 1137—1149. Cf. Hesych. s. v. Suidas s. v. Pollux IV. 58. Atque, qui in comoediis comparebant, servi tali subucula fuisse indutos, docuit Winkelmannus Oper. tom. V. p. 61. Subuculae autem addi debebant braccae Persicae sive Phrygicae, quas dicebant, diffissae illae et personis comicis propriae. Nam braccis nonnullas comoediae per-

sonas indutas fuisse idem Winkelmannus ostendit Werke t. V. p. 63. Atque re vera in vasculo illo braccis amictos ludiones depictos habemus. Prae reliquis vero phallophoris insignis erat is, qui totius chori ductor procedebat et κατ' ἐξοχὴν ὁ φαλλόφορος dicebatur. Is enim non tantum faciem impleverat fuligine (ἐμπλησθεὶς αἰθάλῳ), sed etiam magnum phallum ventri alligatum habebat. Unde fortasse nomen eius φαλλόφορος est derivandum. In vasculo certe una figura ita est depicta, ut ingens phallus a ventre pendeat.

Phallophori igitur cum per omnes fores introissent, carmen quoddam in Bacchi honorem decantabant, cuius initium speciminis causa Semus conservavit. Qualia illa carmina fuerint, fragmento allato ipse phallophororum chorus profitetur. Namque erant ea ab artificio omni aliena, non praemeditata, atque ita petulantia et lasciva, ut audire ea virginibus non liceret. Quae cantilena postquam esset decantata, choreutae alii in aliam theatri partem decurrebant, ut sannis et conviciis quemcunque vellent, cavillarentur. Qui cum id ita facerent, ut ante eos, quos maledictis sectarentur, paululum consisterent: ipse choragus lento gradu per theatrum ambulabat, atque eadem, quae illi, maledicta profundebat.

Nomine et re ipsa phallophoris similes erant ithyphalli, de quibus l. l. Semus Delius disputavit. Quorum quidem enarratio cum autocabdalos secuta phallophororum descriptionem antecedat: ithyphallos non tantum Doriensium fuisse, sed Sicyoniorum ludicris adnumeratos fuisse vero est perquam simile. Enarratio Semi apud Athen. XIV.

haec est: οἱ δὲ ἰθύφαλλοι, φησὶ, καλούμενοι, προσωπεῖον μεθυόντων ἔχουσιν, καὶ ἐστεφάνωνται, χειρίδας ἀνθινὰς ἔχοντες· χιτῶσι δὲ χρῶνται μεσολεύκοις καὶ περιέζωνται ταραντῖνον καλύπτον αὐτοὺς μέχρι τῶν σφυρῶν. σιγῇ δὲ διὰ τοῦ πυλῶνος εἰσελθόντες, ὅταν κατὰ μέσην τὴν ὀρχήστραν γένωνται, ἐπιστρέφουσιν εἰς τὸ θέατρον λέγοντες·

> Ἀνάγετ', εὐρυχωρίαν
> ποιεῖτε τῷ θεῷ·
> ἐθέλει γὰρ ὁ θεὸς ὀρθὸς ἐσφυρωμένος
> διὰ μέσου βαδίζειν.

Totum igitur hoc ludicrum a pompa ludionum efficiebatur, qui ipsi iocosissime exornati in theatrum ambulantes lascivas cantilenas effunderent. Namque personas ebriorum prae facie gestabant, atque hederaceis sertis capita cincta habebant. Quae autem induebantur vestes, diversicolores et manicae floreae, iis petulantia et lascivia vulgo significabatur.

Neque stola illa Tarentina, quae ad pedes usque defluebat, ad insaniam histrionum designandam non faciebat. Haec autem, quod in transcursu monitum velim, mihi in mentem revocat ἔνδυμα ποδηρὲς, quod primum a Phormide usurpatum in scaena fuisse Suidas refert. At personam huius pompae primariam sine dubio ipse deus ille sustinebat, qui huic ludicrorum generi praeerat. Cum enim pompae eiusmodi omnes plerumque a praesule quodam ducebantur: tum in pompa ityphallica ipsum Dionysum processisse e versiculis supra allatis sponte efficitur. Sed qualis erat illa Dionysi persona? Profecto is, qui eam sustinebat, praeter ornamenta iam descripta phallum gerebat et qui-

dem ita comparatum, ut summum libidinis ardorem ostenderet. Id enim ipso nomine ἰθύφαλλος significatur. Cf. Hesych. s. v. Vocabuli synonymum videtur id, in quo explicando frustra desudarunt interpretes, ὁ θεὸς ὀρθὸς ἐσφυρωμένος. Cf. Schweighauser. animadv. tom. VII. p. 385. Jacobs. addit. p. 333. Dictio et est obscoena et eadem, quasi dixisset: in medium procedit deus ityphallus.

Haec autem Sicyoniorum phallica postquam diu obtinuerunt, temporibus serioribus aut abrogata aut immutata esse videntur. Itaque ex illis, quae ityphallica dicebantur, genus quoddam poesis exortum est, quod nomen ityphallorum servaret. Quibus rationibus id factum sit, qualisque fuerit poesis huius ityphallicae indoles, demonstrare eo minus ad hunc locum pertinet, cum abunde hanc rem illustraverint Casaubonus in notis ad Athenaeum p. 441—446. et Eichstaedt in progr. de ityph. a. 1806.

Sed nunc alio disputatio convertenda esse videtur. Quae enim supra de Laconum bacchanalibus et ludicris disserui, ea omnia de Tarentinis quoque valere scias. Nam Tarentum Spartanorum erat colonia. De Bacchanalibus autem, qualia Tarenti et adiacentibus Magnae Graeciae oppidis celebrabantur, locus gravissimus neque ab interpretibus satis perpensus extat in Sophoclis Antigone v. 1105 seqq. Ibi enim chorus, cum in Dionysi laudibus celebrandis versetur, haecce decantat:

Πολυώνυμε Καδμείας
Νύμφας ἄγαλμα καὶ Διὸς
Βαρυβρεμέτα γένος
Κλυτὰν ὃς ἀμφέπεις

Ἰταλίαν μέδεις δὲ παγ-
κοίνοις Ἐλευσινίας
Δηοῦς ἐν κόλποις κ. τ. λ.

Italia temporibus Sophoclis regiones illas meridionales, quae postea Magna Graecia dicebantur, intelligi solitas esse, ex Herodoti et Thucydidis scriptis demonstrari potest. Cf. de ea re Aristot. pol. VII. 9. p. 287. Schneid. huiusque notae. Atque adeo apud Platonem non raro vox *Italicus* cum voce *Siculus* ita coniuncta est, ut Italus eum significet, qui e Magna Graecia originem duxerit. Cf. Heindorf. ad Plat. Gorg. c. 104. p. 157. Itaque Sophocles loco laud. Italiam dixit Campaniam orasque adiacentes, quibus Bacchi Cererisque certamen inesse testatur Florus I. 16. Sed caveas omnino, ne eandem Sophocleae sententiae sensum, quem Flori verba facillime praebent, inesse arbitreris. Nimirum summam vini et frumentorum in regionibus istis opulentiam esse, scriptor historicus designat. Ad eundem sensum verba Sophoclea revocare incoepit scholiasta, qui ad hunc locum haec adnotavit: διὰ τὸ πολυάμπελον τῆς χώρας. Idem vero a se ipso refutatur, cum paulo post verba illa μέδεις δὲ παγκοίνοις Ἐλευσινίας κ. τ. λ. ita esse intelligenda dixerit, ut sermo sit de Cereris mysteriis, quorum particeps fuerit Dionysus. Haec enim eius verba sunt: ὅτι κοινὰ τὰ μυστήρια Δήμητρος καὶ Διονύσου. At cum toto illo loco chorus de cultu sermocinetur, qui Dionyso omnibus fere locis contingat: profecto de Italia quoque non id praedicavit chorus, eam insigni uvarum opulentia, sed ipso sacrorum Bacchicorum cultu floruisse. Neque audiendus est Goesius, qui in comment. ad

Aeschyl. Agamem. p. 38. lectionem Ἰταλίαν genuinam esse negavit, quod Sophoclis tempore in Italia inferiore sacra Bacchica nondum fuissent usitata. Huic viri illius opinioni obstat fabula quaedam, quae apud Graecos circumferebatur, Bacchum ad bellum illud cum Tyrrhenis proficiscentem complures Silenorum et Satyrorum, qui senectute fuissent debilitati, in Italia reliquisse. Rem enarravit auct. Etym. m. s. v. *Κολωνεία· κτητικὸς τύπος εἰς ἰδιότητα ἀναπέμπεται. φασὶ γὰρ τὸν Διόνυσον τὸν ἐπὶ Τυῤῥηνοὺς ἀπιόντα πόλεμον τοὺς γεγηρακότας τῶν Σειληνῶν μετὰ τῆς ἀχρήστου ἡλικίας ἐν Ἰταλίᾳ καταλιπεῖν· τοὺς δὲ τραπῆναι ἐπὶ ἀμπέλου ἐπιμέλειαν καὶ ἔνοινον γενέσθαι τὴν Ἰταλίαν.* Quodsi vera a fabulosis discernis: sensus fabulae non alius est, quam uvarum plantationem et sacra Bacchica cum omni vindemia coniuncta in regionibus istis fuisse vetustissima. Si cui autem nimium hoc ex loco colligere ego videar: ei alia insuper argumenta suppeditabo ab artis antiquae monumentis repetita.

Cum enim, quantum equidem sciam, praeter allata desint alia de hac re auctorum veterum indicia: confugiendum est primum ad artis numismaticae monumenta, quorum multis et quidem antiquissimis Dionysi effigies exhibetur. Nimirum ea dico, quibus impressa est imago notissima tauri, qui non taurinum habet caput, sed hominis barbati, quem vulgo *τὸν ἡβῶντα* dicunt. Hac autem imagine, quae plurimis fere Campaniae et Siciliae nummis impressa est, Bacchum atque eius sacra ibi vulgatissima significari docuit iam Corellius in libello de senatus consulto Postumianso p. 33. Cf. Eckhel. de Numm. Vett. tom. I. p. 136 — 140.

Visconti. ad Pio Clement. tom. V. p. 17. 18. Creuzeri Dionys. l. pl. Atque in aliis quoque Doriensium civitatibus, uti in Elide, Dionysus in sacris suis tauri specie exhibebatur. Cf. Plutarch. quaest. gr. 36. Dorvill. Sicula tab. X. 4. Postea autem haec Dionysi imago ita est immutata, ut caput illud quidem adolescentis barbati retinerent, sed pro taurino corpus humanum effingerent. Hic est Doricus ille Bacchus, cuius speciem adumbravit Diodorus lib. IV. 5., quemque tot artium monumentis repraesentatum habemus. Cf. Winkelmanni op. tom. V. 1. 25. Neque is commutandus est cum venusto illo puero, qualem stirpis Ionicae Graeci Dionysum suum formare consueverant. Cf. Boettiger Id. p. 176. Cum igitur Siculorum et Italorum nummi, quos antiquissima artis Graecorum numismaticae munimenta esse iudicat Winkelmannus op. tom. VI. 1. 18. Dionysi barbati effigiem prae se ferant: nonne hoc apparet, sacra eius his regionibus fuisse et antiquissima et vulgatissima?

Sed gravioris etiam momenti ad sententiam meam confirmandam non tantum, verum etiam ad illustrandum quodammodo Dionysi cultum, qualis in terris istis erat, ea sunt artis monumenta, quae vasorum nomine nunc a plerisque dicuntur. Quorum plurima fere reperiuntur in Italia et Sicilia et quidem in sepulcris. Cf. Boettiger. Id. p. 173. Pulchriora autem ea esse, quae ad Siculos pertinent, iudicavit Winkelm. op. III. p. 237. Horum igitur vasorum fere omnium originem ut ad tempora antiquissima revocemus, efficit picturae indoles, quae in figuris vasculis inscriptis deprehenditur. Quae cum maximam partem ita sunt adumbratae,

ut Bacchanalia sive personas Bacchicas repraesentent. — Cf. Boettiger Id. p. 169. et 173. — inde sequitur, locis illis, quibus reperiuntur, fuisse Dionysi cultum aetatis vetustissimae, atque ad exemplum Bacchanalium, quae nunc in vasculis habemus, figuras esse adumbratas. Ipse deus, cuius imago in nonnullis vasculis depicta conservatur, idem est ille Dionysus barbatus, quem supra e nummis et veterum auctorum locis Doricum fuisse demonstravimus. Cf. Boettiger. Id. p. 175. — Erat autem ibi in Bacchanalibus celebrandis insignis pompa quaedam, quae ut ad numen omnium hilarissimum colendum instituebatur, ita ad rationem comicam omnino componi solebat. Namque qui pompae praeerat sacerdos, ipsius Dionysi partes sustinebat, eumque sequebantur alii quamplurimi, qui Satyrorum, Silenorum, Nympharum, Panum, quique insuper Dionysum sectantur, comitum personis et ornatu erant amicti. Cum vero pompa illa hinc illinc subsistere soleret: interim diversissima saltationum atque mimorum genera edebantur, neque deerant tibiarum concentus et cantilenae Bacchicae. Hinc in vasculo longe nobilissimo, quod descriptum est in peintures de vases antiques tab. I. pl. XII. Dionysum videmus, quem comitantur binae mulieres, quarum altera nomen Ἀοίδη altera Μνήμη superscriptum habent. Cf. Millin comment. p. 21. et 29. Finita autem pompa ἱερὸς γάμος quidam agebatur a Dionyso eiusque sponsa, quem deinde sacra excipiebant solemnia, epulae, comissationes, oblectamenta alia. Initiationes quoque puberum puerorum atque puellarum cum sacris istis fuisse coniunctas, et vascula tanquam initiationis

testimonia simul cum mortuis in sepulcris deponi solita esse, qui arbitrentur, non desunt. Provocant enim ad Platonis locum quendam, qui est in lib. VIII. de republ. p. 815. et ad Synesii Calv. encom. p. 68. e. D. Quod utrum vere illi opinentur, equidem in medio positum relinquam, tum quia sententiae illorum facillime repugnari potest, tum quoniam ad ea, quae mihi nunc sunt proposita, explicanda non attinent.

Pompam illam Dionysiacam, qualem modo descripsi, ad comoediae rationes aliquatenus accessisse, nemo non intelligit; verum formae eiusdem multifariam etiam sunt variatae. Certum enim confirmare licet, pompam bacchantium non tantum ad saltationes exhibendas aliquoties substitisse; verum etiam adfuisse histriones quosdam, qui suggestum hinc illinc extructum conscenderent, et fabulas ad Dionysum maxime pertinentes proponerent. Itaque ipsam illam pompam sive κῶμον persona τῆς κωμῳδίας repraesentatam videmus in vasculo illo, quod est apud Millin. peintures tab. I. pl. IX. Nam de singularum personarum et ipsius actionis, quae ibi depicta est, significatione eo minus dubitari debet, cum suum cuique nomen sit superscriptum. Illa igitur κωμῳδία mulierum bacchantium fere ornatum atque motus exhibens Dionysum sequitur, qui cum Vulcano et Marsya facinus aliquod iocosum perpetrare incepit. Namque amicum sibi Vulcanum, quem inebriavit, comissatione finita in Olympum reducit, ut eum cum matre Junone reconciliet. Profecto κωμῳδίᾳ illi Bacchum insequenti haec est significatio, ut fabulas eius-

modi aut certe similes simul cum pompis Bacch edi esse solitas ostendat.

In universum comoediae illae, quas modo signare incepi, iocis et delectamentis erant quit plenissimae, sed eaedem neque praemeditatae que ad artis praecepta conformatae. Unde omnibus nomen indidit *φαλλικὰ αὐτοσχεδιάσμ* Aristoteles. Ludiones autem ornatum maxime loribus suis variegatum et iocosissimum habeb qualem infra e vasculis quibusdam describam. Ii fabulas ita repraesentabant, ut non tam diver quam mimis, quid ageretur, ostenderent. C in dicteriis hinc illinc inspersis oratione prosa non autem versibus metro inclusis utebantur. primum locum obtinebant multae illae saltatio mimicae ipsas comoedias aut consequentes aut tecedentes, quae nusquam fere tantum, quant hisce regionibus essent excultae et adamatae. I factum est, ut in Italia et Sicilia ipso eo tempo quo iusta comoedia ubique innotuerat, priscae i comoediae cum saltationibus suis retinerentur. Ita Aristoteles loco illo, quo *φαλλικὰ αὐτοσχεδιάσμ* commemoravit, apposuit haecce: *καὶ ταῦτα ἔτι ἐν πολλαῖς πόλεσι διαμένουσι.* Nam is profecto alias nisi Siculorum et Italorum civitates ve istis notavit; propterea quod aetate Aristotelis reliquis Graeciae regionibus pompae illae pha cae iam dudum erant antiquatae. Cuius rei lu lentum praebent exemplum Thebani, qui cum c nium diutissime *τὰ φαλλικὰ* conservassent, Ol. LX i. ea antiquare a Boëtarcha Pagonda iuberent Quae cum ita sint, vix miraberis, Italos et Sicu quosdam fabellarum illarum actus in nonnullis s

vasculis aliisque artis monumentis descripsisse. Inde Winkelmannus quoque iudicavit, fuisse eorum, qui vascula picturis exornarent, hunc morem, ut personas de scaena desumtas in iis adumbrarent. Quod ut exemplo aliquo patefaceret, provocavit ad vasculum quoddam nobilissimum, quod servatur in Museo Pioclementino. Huius enim figurae aperte personas scaenicas repraesentant, et ad Bacchi thyasum eas pertinuisse thyrsi, quos manibus tenent, cuivis produnt. C. Winkelm. op. tom. III. p. 357. F.

Cum autem ludicra, e quibus fabellae in vasculis descriptae suam quasi originem duxerunt, essent Bacchanalia: omnino erat consentaneum fuisse ex omnibus diis primum Dionysum ipsum, qui fabellae eiusmodi persona primaria existeret. Cf. Creuzer. de rebus Bacch. p. I. Namque apud antiquos plurimae ferebantur de Dionyso narratiunculae iocosissimae, quae aut comoediarum aut satyrorum postea fierent argumenta, aut certe in eorum episodiis non raro significarentur. Quod non tantum a Doriensium, verum quoque ab Atheniensium aliorumque poetis factitatum esse, quis est qui nesciat? Itaque alii eum faciunt doni a se inventi specimina iocosissima edentem apud eos, qui vim vini inebriantem nesciunt. — Cf. Ovid. Metam. VI. 125. Fast. III. 745. — alii autem tradunt eum atque armigerum Silenum et Vulcanum cum Satyris in pugnam Giganteam asinis esse advectos, quorum subito clamore Gigantes perterrefacti aufugerint. — Eratosth. catast. II. Hygin. A. P. II. 23. — alii nocturna eos comissatione venustas puellas persequi referunt, a quibus auditi

delectarentur, falsi autem riderentur. Qualis quidem comissatio argumentum esse videtur picturae, qua nonnulla vascula sunt exornata. Quale est illud, quod adumbravit Tischbein IV. 46., in cuius interpretatione Welkerum Anh. p. 299. maxime sequar. Summum igitur picturae locum obtinet Aetolica Althaea, quae e fenestra prospicit Dionysum paulo inferius adstantem. Huic autem proxima sedet muliercula quaedam fortasse serva, quae pallam paululum sublatam ita porrigit, ut facere solent aniculae, quae dona aliqua in gremium excipere sunt paratae. Eodem modo novimus Iovem procantem et in Inachi domum attulisse dona et Alcmenae quoque apportasse. Similes autem binas picturas in vasculis Passeri quibusdam esse docuit Creuzer. Symbol. III. p. 473. Neque poetas Athenienses, qui satyros conscribebant, Dionysi ad Althaeam comissatio latebat, eaque manifesto designatur ab Euripide in Cycl. v. 38. et seqq.

Cum autem ad Bacchi pompam, si Diodoro aliisque fidem habes, pertineant Nymphae quoque atque Satyri, quorum cantilenis et saltationibus deus iste delectetur: inde cum Dionyso Nymphas simul et Satyros picturis illis repraesentatos videmus, ut easdem personas in scaenam quoque prodiisse compareat. Atque Satyrorum cantilenis et saltationibus cum spectatores maxime delectarentur: tum adeo eorum personae in fabellis istis retinebantur, quum non amplius ipse Bacchus sed aliud numen primarias fabellae partes sustineret. Itaque eos nunc petulantem aliquam, quae histrionum actionem vel antecederet vel consequeretur, saltationem edentes conspicimus: nunc ad scaenae

parietes vel subsistentes vel sedentes illi exhibentur, ut tanquam spectatores eos vel scaenae ministros adesse arbitreris. Huc pertinet Satyrorum pictura, quam vides in vasculo delineato ab Hancarvillio tom. I. pl. 43. Cf. Tischbein. engr. tom. III. tab. 3. Insunt enim Satyri omnino ad risum captandum exornati, qui faces simul manibus quatientes iocosissima saltatione moventur. Gravioris etiam momenti est vasculum aliud, quod adumbratum vides in peintures de v. a. tom. I. pl. 20. 21. Cuius quidem in parte anteriore Achillis et Memnonis ψυχοςασία cum Thetide et Aurora adstantibus depicta est; in parte autem postica saltatio Satyrorum faces tenentium perquam comica conspicitur. Vides igitur e binis hisce picturis in uno vasculo coniunctis, cum fabella illa de ψυχοςασία simul editam fuisse quandam satyrorum saltationem. Neque deerant motus lascivi, quales erant illi, quibus satyri restim ductitantes prosiliebant. Quorum aliquod, ut hoc utar, exemplum vides apud Tischbein. tom. IV. pl. 10. Cf. comment. ad Aristoph. nub. v. 540. et ad Hesychium tom. II. c. 317. Satyri autem spectatores neque earum rerum, quae in scaena agebantur, participes illi videntur, quos depinxerunt Hancarvill. tom. I. pl. 127. III. 123. Millin. peintures tom. I. pl. 3. Tischbein. III. 32. aliique.

Verum et ipsorum Satyrorum aliquot fabellarum partes primariae fuisse videntur. Atque amores et insidiae, quibus isti Nymphas es Maenades persequebantur, eo magis argumenta comica suppeditabant, cum et alii poetae et artifices illa Satyrorum facinora quam plurima effingerent. Certe vasculis

aliquot opinio nostra confirmatur. Itaque in vasculo, quod est apud Passerium tom. III. tab. 206. verum Satyrorum actum scaenicum adumbratum habes. Insunt enim Satyri duo ornatum prae se ferentes omnino ridiculum, qui in facinore quodam nocturno perpetrando versantur. Namque alter scala ad parietem apposita fenestram petit, qua adscensa mulierem aliquam, cui est insidiatus, consequi possit: dum alter ad noctis tenebras depellendas facem tenet. In alio autem, quod reperitur apud Tischbein. engrav. tom. III. pl. 18. Satyri duo cum Maenade conspiciuntur ita positi, ut Satyro altero tibiis canente alter mimum saltet artificiosissimum, Maenas autem huius spectaculi adsit quasi spectatrix.

Sed Dionysi et qui eum comitari solebant, Satyrorum et Silenorum facinora non una erant, quae priscae huius comoediae fierent argumenta. Haec enim et ab aliorum deorum dearumque rebus petita deprehendes. Itaque imprimis multa eorum, quae de Vulcano narrabantur, in fabellas hasce comicas traducta sunt. Quod eo melius faciebant Bacchici isti ludiones, cum quandoque Dionyso cum Vulcano intimam fuisse familiaritatem tradat Pausanias. I. 20, 2. Sed res edocenda est exemplo. Quale est quod nonnulli veterum mythologi narrarunt, Vulcanum aliquando sellam aliquam arte magica esse fabricatum, cui matrem Iunonem imposuisset atque ita adligasset, ut ea nullo prorsus deorum artificio sede sua amoveri posset. Illum denique ipsum, cum precibus eum cives Olympici defatigassent, vinculis malignam novercam liberasse. Cf. Photii bibl. p. 59. Suidas s. v.

Ἥρας δεσμούς. Ad hanc igitur fabulam pertinet vasculum illud, quod in oppido Neapolitano Bari repertum nunc in Britannorum museo conservatur. In medio enim vasculo conspicitur Iuno solio imposita, cui nomen *HPA* superscriptum est. Cui adstat a parte dextra scurra quidam ioculariter exornatus, qui pileo suo fastigato et nomine Δαίδαλος apposito affatim designatur. Huic autem a parte sinistra oppositus est alter, qui eodem fere modo ornatus nomine Ἐνυαλίω superscripto cognoscitur. Uterque tales corporis motus et contentiones exhibere videtur, ut vim illam magicam, qua Juno tenetur solvere studeat. Verum totum huncce actum in scaena aliqua fuisse editum ex eo liquidissimo apparet, quod suggestui, cui personae istae sunt impositae, scala adstat, quales illae, quibus histriones pulpitum conscendere solebant. Depicta haec Junonis vincula vides apud Mazocchi. tab. Heracl. ad. p. 138. Hancarville tom. III. pl. 108. Millin. Gallerie mythol. 13, 48. Cf. Mueller. Dor. II. p. 355.

Sed Vulcani iocus iste, ita mythologi narrare pergunt, tantopere parentes afflixerat, ut pessime eum tractarent atque adeo ex Olympo abire cogerent. Qui cum aliquamdiu a diis amotus inter homines esset versatus, a Dionyso inebriatus asino imponitur et laetissima pompa in Olympum reducitur. Hic autem Vulcani cum parentibus reconciliandi reditus in nonnullis vasculis depictus est. Quale est quod delineavit Tischbein. IV. 38. Cf. Creuzeri tabellae V. 5. In eo enim praeit Dionysus, sequitur Vulcanus asino vectus, et post eum incedit Marsyas tibiis canendo pompam exhilarans. In

alio autem, quod depictum reperitur apud Millini vases II. 66. Gall. mythol. LXXXV. 388. praeit Marsyas cum tibiis suis, quem sequitur Dionysus et ultimus est ipse Vulcanus asino impositus et hilarissime se gerens. Tertii vasculi pictura, licet idem argumentum exhibeatur, ita est variata, ut primus pompae compareat Vulcanus asino vectus, sequantur Marsyas et Dionysus, addita sit autem mulier facem tenens. Cf. Tischbein III. 9. Dubois Maisonneuve pl. 17. 4. In alio denique, quod iam supra commemoravi, praecedit Marsyas, sequitur comoedia mulieris bacchantis specie, tertius est Dionysus, quem protrudit ebrius Vulcanus. Cf. Millin. vases I. 9. Gallerie mythol. LXXXIII. 336. Millingen. vases de Sir Coghill. tab. 6. E compluribus autem hisce picturis, quarum omnium idem est argumentum, hoc consequi videtur, fuisse historiunculam illam de Vulcano ex iis, quas histriones comici praeconcepto quodam amore repraesentarent. Cf. Boettiger. Id. p. 193. Mueller. Dor. II. 355. Welker. Anhang p. 300.

Sed ipsum Jovem traducere poetae non dubitabant. Atque imprimis de rebus eius amatoriis extabant historiunculae, quae fabellis istis comicis argumenta suppeditarent maxime idonea. Itaque fabellam in scaena re vera editam deprehendit iam Winkelmannus in vasculo Mengii nobilissimo illo, quod nunc inter vasa bibliothecae Vaticanae asservatur. Cf. Meyer Griech. Kunstg. tom. II. p. 194. Huius vasculi picturam interpretatus est Winkelm. op. t. III. p. 253. Sed verba eius, qualia ipse ore vernaculo protulit, huc apponam. „Auf einem Gefäfs in dem Museo des Herrn Mengs befindet sich eine Parodie des

Jupiter und der Alcmene. Es ist hier der vornehmste Auftritt einer Komödie, wie der Amphitruo des Plautus ist, gemalet. Alcmena sieht aus einem Fenster, wie diejenigen thaten, die ihre Gunst feil hatten, oder spröde thun und sich kostbar machen wollten. Das Fenster steht hoch nach Art der Altane. Jupiter ist verkleidet mit einer bärtigen weissen Larve, und träget den Scheffel (modius) auf dem Haupte, wie Serapis, welcher mit der Larve aus einem Stück ist; es trägt derselbe eine Leiter, zwischen deren Sprossen er den Kopf hindurch steckt, wie im Begriff, das Zimmer der Geliebten zu ersteigen. Auf der andern Seite ist Mercurius mit einem dicken Bauch, wie ein Knecht gestaltet, und wie Sosia beim Plautus verkleidet; er hält in der linken Hand seinen Stab gesenkt, als wenn er denselben verbergen wollte, um nicht erkannt zu werden, und in der andern Hand trägt er eine Lampe, welche er gegen das Fenster erhebt, entweder dem Jupiter zu leuchten, oder es zu machen, wie Delphis beim Theocritus zur Simaetha sagt, mit der Axt und mit der Lampe, das heisst nach unserer Weise zu reden, mit Feuer und Schwert Gewalt zu gebrauchen, wenn ihn seine Geliebte nicht einlassen würde. Er hat einen grossen Priapus, welcher auch hier seine Deutung hat; und in den Komödien der Alten band man sich ein grosses Glied von rothem Leder vor. Beide Figuren haben weisslichte Hosen und Strümpfe aus einem Stücke, die bis auf die Knöchel der Füsse reichen, wie die sitzenden Comici mit Larven vor dem Gesicht in der Villa Mattei und Albani: denn die Personen in den Komödien der

Alten durften nicht ohne Hosen erscheinen. Pitt. d'Ercol. tom. I. p. 267. tav. 2. not. 9. Das Nackende der Figuren ist Fleischfarbe bis auf den Priapus, so wie die Kleidung der Figuren; und das Kleid der Alcmena ist mit weissen Sternchen bezeichnet. Cf. Boettiger. Id. p. 200. Vasculum id autem delineatum invenies apud Hancarville. tom. IV. pl. 60. Winkelm. monum. ined. n. 190. Sed ut alterum adhuc exemplum addam, in vasculo alio, quod delineatum videmus apud Millingen. Vases de Sir Coghill. tab. 46. Englefield Vases tab. 17. et 19., Jovis et Jus amores depicti sunt. Namque in ara, cui Junonis effigies est imposita, simul considet Jo cornu, quod in fronte eminet, insignis. Adstat autem Jupiter forma iuvenili et venusta, qui sceptrum quoddam tenens proci partes diligenter peragit. Post aram illam Satyrus conspicitur, cuius hanc esse significationem censet Welkerus in libello Anh. p. 307., ut fabellam istam cum Satyrorum choro coniunctam fuisse designet.

Multae insuper de heroibus, qui ita dicebantur, fabulae ita a ludionibus istis traducebantur, ut ridiculae fierent atque iocosae. Praecipue autem de Hercule hoc dictum velim, quippe quem omnium maxime Dorienses derisisse videantur. Cf. Mueller. Dor. I. p. 457. Boettiger Id. p. 190. Welker. Anhang p. 219. Itaque ut exemplum afferam, Herculis et Hesperidum amores in compluribus vasculis depictos reperies. Cf. Hancarville. I. 127. III. 123. Quas quidem picturas ita interpretatus est Boettiger. Id. p. 202. ut diceret, repraesentari illis satyrici interludii argumenta, quo complures puellae formosissimae, quae Hesperidum partes

sustinerent, in scaenam prodire potuissent. Conferatur imprimis vasculum egregium, quod servatur a Catanensi principe Biscari, depictum autem reperitur apud Passeri. tom. I. tab. 40. Accedit aliud quoddam vasculum, cuius picturam descripsit Millin. peintures tom. I. pl. 3. Atque haec ita est comparata, ut omnino ad actionem in scaena proposita depicta esse videatur. Nimirum ea fabula erat de Hercule, qui Hesperidum poma abstulit. Prostat igitur in pulpito Hercules, cui faciles Hesperides non tantum draconem sopiunt, verum etiam aurea illa poma decerpunt. Paulo superius constitere Mercurius cum Nymphis Chara et Donacide et Satyrus natu maior, qui spectatorum vice defungi videntur.

Saepissime etiam Herculem convenientem faciebant cum Satyris, qui heroem illum non ita facilem multifariam vexarent atque illuderent. Itaque in vasculo apud Millingen. peintures tav. 35. Hercules ita depictus est, ut e somno expergefieri videatur. Namque id effecerunt strepitum faciendo quatuor Satyri, qui armis Herculeis abslatis in fugam se proripiunt. Cf. Galerie mythol. tab. CXX. 471. In alio Hercules et Satyrus ita compositi sunt, ut hic illo omnino non sentiente ebibat vinum e vasculo, quod suis ipse manibus Hercules tenet. Quinimo Pygmaei specie Herculem prodeuntem et cum gruibus pugnantem nonnulli pictores fecerunt. Cf. Millin. I. pl. 63. 72. Tischbein. II. 7. 18.

Vasculum aliud artificio non exiguo elaboratum depictum extat in peintures tom. II. pl. 7. Qua quidem pictura certamen illud, quod Cadmum in-

ter et draconem ad Martis fontem commissum fuerit, repraesentari vasculi huius interpretes ore unamini confirmant. Super ipsam scaenam in hac pictura appositus est locus paulo altior, e quo ad certaminis illius spectaculum despiciunt mulier quaedam egregie exornata, duo Satyrisci, iuvenis caduceum gestans. Atque his figuris satyricum interludium significari censuit Boettiger. Id. p. 203. Huiusque sententiam non improbavit Welkerus Anh. p. 289. Eodem modo Persei facinora, e quibus postea Phormis, poeta Syracusius comoediae suae argumentum repetivit, iam ante Phormidem ludicris fabulis exhibebantur. Itaque in vasculo illo, quod extat apud Millingen. in peintures de vases tab. 3., Inghirami monum. Etr. vasi fittili tav. 43., Perseum cum Satyris adumbratos esse plerique opinantur. Nimirum medius inter duo illos Satyros Perseus ita positus est, ut certamen inter Perseum et Satyros committi arbitreris. Perseus enim cum defendendi causa pupam obiiciat, alter eam Medusae caput esse opinans summa anxietate correptus aufugere conatur. Alius denique vasculi, quod apud Tischbein. in engrav. 4., 57. reperitur, picturam ad fabulam aliqnam comicam de Tarante, heroe Tarentino spectare arbitratus est Mueller. Dor. II. 357. Sedet enim in pisce scurra quidam modo iocosissimo exornatus et motus exhibens omnino ridiculos.

Sed ex antiquis picturis nunc satis attuli speciminum, quae ad priscam Siculorum et Italorum comoediam numeranda esse mihi videntur. Revertar igitnr ad Tarentinorum bacchanalia, de quibus supra disserere incoepi. Quorum quidem civita-

tem Plato, cum eam repetito in Siciliam itinere haud dubie adiisset, omnem festis Bacchi diebus una eaque universa vinolentia correptam fuisse testatur. Locus est de legibus I. p. 637. B. tom. VII. p. 36. *καὶ ἐν Τάραντι δὲ παρὰ τοῖς ἡμετέροις ἀποίκοις πᾶσαν ἐθεασάμην τὴν πόλιν περὶ τὰ Διονύσια μεθύουσαν.* Verum enimvero ipsa haec bacchanalia erant, quibus ederetur omne genus ludicrorum et delectamentorum, quaecunque Tarentinis voluptuariis innotuerant. Iam considera mihi verba Sosibii, qui apud Athenaeum lib. XIV. p. 621. e. comicos illos ludiones, qui a Lacedaemoniis *δεικηλισταὶ* dicerentur, ab Italis et inde a Tarentinis quoque *φλύακας* denominatos esse refert.

Quibus quidem comica rerum quarundam imitatio cum Laconicis ludis erat communis, sed quale eorum fuerit argumentum, de ea re grammaticus ille ne verbum quidem pronuntiavit. Neque magis definite hanc quaestionem exposuit Eusťath. ad Iliad. λ. p. 836. 27. cum mimorum poetas *φλυακογράφους* et ab ipsis Italis *φλοίακας* dictos fuisse refert. Cf. Casaubon. not. ad Athen. p. 167. Hesychius vero qui voci *φλύαξ* apposuit *γελοιαστής*, phlyacum scriptorem et ioculatorem unum eundemque habere videtur. Neque is sibi repugnat, cum paulo post vocem *φλυάσσει* eandem quam *φλύει* et *φλυαρεῖ* esse docet. Suidas quoque est audiendus, qui sermonem sive ridiculum sive insulsum *φλύαρον* denominat, atque etiam obscoenos istos Sotadis et Alexandri Aetoli iocos phlyacibus adnumerat. Cf. Suidas s. v. *φλύακες*. Quorum auctorum indicia si sequeris, repudianda erit vulgaris eorum opinio, qui phlyacibus argumenta

tragica ita, ut ridicula fierent, traducta fuisse existimant. Namque huius poesis definitio ita est amplificanda, ut aut fabulas e mythologia aut res ex humana vita petitas ad risum captandum iis propositas fuisse dicas. Cf. Blankenburgii additam. ad Sulz. I. p. 512. Quod autem huius comoediae poetae ab omnibus, quae ad rempublicam eiusque administrationem pertinerent, omnino abstinebant: id e ratione, qua Italiae inferioris et Siciliae pleraeque civitates institutae erant, explicabis. Duplex igitur *φλυάκων* genus est, et utriusque exempla ad divisionem hanc comprobandam afferre possumus. Itaque ad prius genus eorum phlyacum, quibus fabulae mythologicae ad risum movendum converterentur, adnumeranda esse videntur prisca illa ludicra, quorum nonnulla supra e vasculorum picturis adumbravi. Eorum igitur personae, ut ita dicam, primariae erant et Hercules saepissime ad risum movendum traductus, et Iupiter ad amores clandestinos demissus, et Iuno superba a filio vexata atque derisa et id genus alii. Accedit poeta, cuius scriptas ex hoc genere comoedias habebat antiquitas. Is est Rhinton, quem ea de causa ad phlyaces adnumeratum esse, quod argumenta tragica ita, ut ridiculae fierent, immutare consuevisset, tradit Stephanus Byzantinus. Eius verba reperiuntur s. v. *Τάρας*: *ἀνεγράφη καὶ Ῥίνθων Ταραντῖνος φλύαξ, τὰ τραγικὰ μεταῤῥυθμίζων ἐς τὸ γελοῖον.* Cf. Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 976. Namque non tantum ipsae illae Tarentinae comoediae, verum etiam earum scriptores et histriones *φλύακες* dicebantur. Cf. Schweighaeuser. animadv. ad Athen. tom. V. p. 381. Verbum *μεταῤῥυθμίζειν* autem iam

Casaubonus ad Sueton. Tiber. c. 78. ita est interpretatus, ut exemplo a statua aliqua desumpto eam μεταῤῥυθμίζεσθαι diceret, si ita immutaretur, ut aliam, quam antea habuisset, speciem exhiberet. Ergo phlyacibus eius fabulae tragicae ita invertebantur, ut non amplius commiserationem sed risum moverent. Unde fortasse factum est, ut fabulis Rhintonicis nomen perquam idoneum ἱλαροτραγῳδία sit impositum. Ita enim Suidas s. v. Ῥίνθων, Ταραντῖνος κωμικός. ἀρχηγὸς τῆς καλουμένης ἱλαροτραγῳδίας ὅ ἐςι φλυακογραφία. υἱὸς δὲ ἦν κεραμέως. καὶ γέγονεν ἐπὶ τοῦ πρώτου Πτολεμαίου. δράματα δὲ αὐτοῦ τραγικὰ καὶ κωμικὰ λή. Quodsi nomen ἱλαροτραγῳδία ad Rhintonis comoedias quadrabat: non ideo omnibus φλυακογραφίαις hoc nomen antiqui tribuerunt. Neque alterum istud Suidae testimonium, scripsisse Rhintonem triginta sex comoedias et tragoedias, aliter est intelligendum, quam ita, ut comoediis et tragoediis istis fabulas quasdam significatas esse arbitremur, quibus res et personae tragicae ratione comica tractarentur. Eodem sensu Nossis in epigrammate, quod extat apud Brunck. in anal. tom. I. p. 196., fabulas Rhintonicas φλύακας τραγικοὺς dixit: tanquam eas distinguere voluisset ab illis, quarum argumenta non tragica, sed e vulgari hominum vita essent repetita.

Sed quae ad hoc genus comoediae pertinebant fabellae, diutissime ante Rhintonis tempora erant usitatae et per omnem Italiam inferiorem Siciliamque divulgatae. Atque Suidas, qui l. l. Rhintonem ἀρχηγὸν τῆς ἱλαροτραγῳδίας fuisse testatur, cum huius comoediae principem dixit, qui primus fa-

bellas istas populo diutissime usitatas scriptis mandavit atque ad certam et definitam formam revocavit. Certe is in tota fabularum tractatione ab usu Tarentinorum non aberrasse videtur. Etenim, quod refert Apoll. Dysc. de pron. p. 364. B. — Cf. Valken. ad Adoniaz. p. 294. — et priscam Tarentinorum dialectum in fabulis retinuit, licet tum temporis Atheniensium sermone uti omnes in illa urbe incepissent: et argumenta, quatenus ea e paucis, quae supersunt, fabularum nominibus, cognoscere licet, omnino congruebant cum ludis illis vetustissimis, quos supra e vasculorum picturis adumbravi. Audi modo titulos. Amphitruo, Hercules, Orestes, Telephus, Iphigeniae, Meleager servus ab Athenaeo, Polluce, Hephaestione atque Herodiano laudantur. Atque Amphitruonem eius ita fuisse institutam existimo, ut ad antiquioris alicuius comoediae, qualem Winkelmannus e vasculo Mengiano delineavit, exemplum conformata esse videretur. Certe argumentum istud omnibus placebat. Nam ad ipsos Romanos haec fabula pervenit. Profecto enim Plautus Amphitruone suo priscam illam Italorum comoediam retulit, et quod maxime hic considerari oportet, ipse illam suam fabulam tragicocomoediam dixit. Cf. Plaut. Amphit. prol. v. 59. Cf. Eichstaedt de dram. Gr. comicosat. p. 44.

Ad alterum phlyacum genus adnumerari debent plurimae certe fabulae φλυακογράφων illorum, qui Rhintonem insecuti esse a veteribus dicuntur. His ea ipsa de causa nomen generalius φλυακόγραφοι, non autem ἱλαροτραγῳδοί tributum esse constat. Quanquam multum abest, ut aliquas eorum fabulas veras hilarotragoedias fuisse negem. Eorum

igitur clarissimus Sopater fuisse videtur. Atque Suidas s. v. duos censet fuisse Sopatros, quorum alterum comicum, alterum parodum dixit. Idem discrimen interposuisse videtur Athenaeus, qui fabulas alias a Sopatro parodo, alias a Sopatro plyacographo conscriptas laudat. At idem hoc discrimen servare noluit, quippe qui fabulas nonnullas retulerit ad Sopatrum non addito vocabulo neque parodo neque φλυακογράφῳ. Cf. exempli causa IV. p. 160. e. III. p. 101. a. et b. Accedit, quod fabulae, quibus πύλαι titulus et Βακχίς erat impositus, nunc ad Sopatrum non addito cognimine, nunc ad parodum, nunc ad φλυακόγραφον auctorem referuntur. Cf. IV. p. 158. d. IV. p. 176. a. IV. 175. b. c. XIV. 649. a. Ex quibus omnibus apparet, Sopatrum parodum et φλυάκων scriptorem unum eundemque fuisse. Fabulae, quarum cum pauculis reliquiis nomina Suidas et Athenaeus conservarunt, hae fere sunt: Bacchis, Bacchidis nuptiae, Blattae, Cnidia, Eubulotheombrotus, Galli, Hippolytus, Lenticula, Mystae, Mystaci servulus, Mortuorum evocatio, Orestes, Physiologus. Quae quidem nomina allata satis iam eo mihi facere videntur, ut aliquam certe de fabularum earum argumento notionem animo informare possis. Sciram autem ad comoediae, quam Italicam tum temporis dicebant, auctores pertinuisse testatur Athen. lib. IX. p. 402. b. καὶ Σκίρας εἷς δέ ἐςιν οὗτος τῆς Ἰταλικῆς καλουμένης κωμῳδίας ποιητῆς, γένος Ταράντινος. Atque Italicae comoediae poetam et φλυάκων scriptorem unum eundemque esse nemo non intelligit. Cf. Valkenaer. Adoniaz. p. 294. Reuvens. ad Lydum p. 69. Ex una autem eius fa-

bulà, *Meleagro*, quam Athenaeus l. l. citavit, qualia reliquarum argumenta fuerint, colligi nequit. Neque multo plura de Blaeso illo, qui in insula Caprea natus erat, innotuerunt. Scripserat is comoediam *Saturnum* — Cf. Athen. lib. XI. p. 487. c. — et *Mesotribam* — Cf. Athen. lib. III. p. 111. c. — Quarum fabularum posterior si vulgari *φλυάκων* generi est accensenda: altera magis hilarotragoediae naturam prae se tulisse videtur. Sed haec de comoedia Tarentina disputata nunc sufficiant; alias enim omne hoc argumentum copiosius atque accuratius enarrabo.

Cum Tarentinis autem et omnino cum Italiae inferioris incolis rerum Bacchicarum cultus Siculis communis erat. Quod iam tum concedi deberet, si nullum aliud huius rei argumentum proferre possem, quam picturas vasculorum supra commemoratas, quae in Sicilia aeque atque in Italia reperiuntur. Sed res extra omne dubium ponitur versiculo Theocriteo, quo pastor quidam Dionysum ipsum aliquando in Sicilia armenta pavisse gloriatur. Is est idyll. XX. v. 33.

Ὡς καλὸς Διόνυσος ἐπ' ἄγκεσι πόρτιν ἐλαύνει.

Quocum omnino consentit Virgilius eclog. V. v. 29. et seqq., quibus Daphnin primum sacra bacchica apud pastores instituisse tradit:

Daphnis et Armenias curru subiungere tigres
Instituit, Daphnis thiasos inducere Bacchi,
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.

Agitur autem hoc idyllion in ipsa Sicilia. Quin etiam maius aliquid eodem iure confirmare mihi videor. Namque fabellas illas, quas e vasculorum picturis adumbratas *φλυάκων* quasi praeludia fuisse

indicavi, in Sicilia quoque perquam usitatas fuisse censeo. Quae mea sententia si vera est, et hic in rerum Bacchicarum cultu prima comoediae initia sunt ponenda. Inde autem versiculus epigrammatis, quod Theocritus in Epicharmi statuam confecit, maxime illustrari potest. Namque Syracusii, ut Epicharmum comoediarum scriptorem honestarent, aeneam eius statuam publice extruxerant. Attamen in ipso illo epigrammate sic dicitur:
Τιν ὦ Βάκχ' ὧδε ἀνέθηκαν χάλκεον ἀντ' ἀλαθινοῦ.
Unde quaeso factum est, ut aenea Epicharmi statua Dionysi propria diceretur, nisi eo, quod et hic comoedia e bacchanalibus exorta Baccho sacra habebatur?

Verum praecipue de Syracusiis haec dicta scias. Eorum enim urbs Corinthiorum colonia erat, qui teste Pausania II. 2., 5. sacra Dionysiaca antiquissimis iam temporibus celebrare inceperant. Accedit, quod Syracusarum incolae insita quadam petulantia ad cavillationes mimicas et comica ludicra maxime erant proclives. Quod iam ex eo perspicitur, quod omnibus chororum saltationibus et cantibus eos praeponebant, qui ab Iambistis edebantur. Cf. Athen. IV. p. 181. c. Inde comica quaedam spectacula non modo ad ipsius Dionysi pompas, verum et aliorum deorum, uti Cereris et Dianae sacris addebantur. Cf. Mueller. Dor. II. p. 320. Neque in ulla Graecia regione ea tam diu, quam Syracusis servata esse videntur. Etenim ibi et ad tempora Aristotelis usque phallica carmina retinebant, et etiamnum ea paucis quidem immutatis apud Syracusios deprehendas. Namque nostra adhuc aetate Syracusii christianae religionis

pompas ita instituere solent, ut eae Bacchanalium potius, quam sacrae actionis indolem, prae se ferre videantur. Eas enim, qui celebrant, non modo ad summam hilaritatem et adeo petulantiam componere consueverunt: verum etiam primarias earum partes obtinent adhuc mimica illa spectacula, quibus fabulae e libris sacris vel vita sanctorum repetitae modo satis ridiculo proponuntur. Cf. Houel. Reise durch Calabrien und Sicilien comp. l., Cephalides Reise durch Ital. und Sicil. t. II. p. 7. Quod autem Bartels rusticum aliquem commemorat festis quibusdam diebus asino impositum, et a turba petulantium comissatorum comitatum cantilenas comicas decantare: id invito tibi in mentem revocat ebrium illum Vulcanum et Silenum, qui saepissime in prisca Siculorum scaena exhibebantur. Cf. Bartels Reisen durch Cal. und Sicil. tom. III. p. 192.

Ludiones autem illi, qui a Laconibus *δεικηλισαὶ*, ab aliis alio nomine dicebantur — Cf. Athenaeus lib. XIV. p. 621. f. — a Syracusiis *ὀρχησαὶ* denominati esse videntur. Quorum nonnulli artem suam non tantum opportunitate aliqua oblata exhibebant, verum continenter profitebantur. Itaque non deerant, qui ex urbe in urbem migrarent, ut nunc deorum pompas ludicris suis exornarent, nunc argento conducti in conviviis epulantes delectarent. Qui ab istis edebantur ludi, ad duo genera revocari possunt. Aut enim eae erant verae saltationes eaeque saepenumero artificiosae perquam et periculosae aliave in corporis actione posita artificia, quae simul omnia *θαύματα* ab istis, quique ea edebant *θαυμασιουργεῖν* dicebantur: aut

mimica rerum vel ex hominum vita vel e mythologia desumtarum repraesentatio, quae ad pantomimos non parum accedebat et *θεάματος* nomine signabatur. Locus autem gravissimus de migrantibus hisce Siciliae ludionibus extat in symposio Xenophontis, qui simul specimina aliqua artis illorum ludicrae memoriae prodidit. Namque Callias, ita rem enarravit Xenophon, Socratem aliosque amicos ad coenam invitatos secum habet. Is autem convivio finito ad animos amicorum exhilarandos intrare iubet ludionum gregem, quos singulos Xenophon c. I. 2. 1. ita designavit: *ὡς δ' ἀφῃρέθησαν αἱ τράπεζαι καὶ ἐσπείσαντο καὶ ἐπαιάνισαν, ἔρχεταί τις αὐτοῖς ἐπὶ κῶμον Συρακόσιος ἄνθρωπος ἔχων τε αὐλητρίδα ἀγαθὴν καὶ ὀςχηςρίδα τῶν τὰ θαύματα δυναμένων ποιεῖν καὶ παῖδα πάνυ γε ὡραῖον καὶ πάνυ καλῶς κιθαρίζοντα τε καὶ ὀρχούμενον. Ταῦτα δὲ καὶ ἐπιδεικνὺς ὡς ἐν θαύματι ἀργύριον ἐλάμβανεν.* Saltatrix igitur, dum tibicina cantat tibiis, saltat atque ipsam per saltationem duodecim annulos ad numerum quendam in altum proiicit, quos delabentes singulos ordine suo excipit. Cf. c. II. 1, 8. Tum illatus est orbis undequaque gladiis extantibus consitus, per quos saltatrix pedibus in altum conversis capite insistens prosiliret. Cf. II. 2., 12. Meurs. orch. p. 45. Haec erat *κυβίςησις* illa, qua omnes, qui aderant, pavore correpti sunt. Cum denique rota figlina esset allata, eique insistentem, dum rotaretur, se quaelibet praelecturam esse et scripturam polliceretur saltatrix, Socrates sibi artificia eiusmodi displicere confessus est, seque maiori cum voluptate spectatorum fore, *εἰ ὀρχοῖντο πρὸς τὸν αὐλὸν σχήματα ἐν οἷς Χάριτές τε καὶ Ὧραι καὶ*

Νύμφαι γράφονται. Cf. c. VIII. 7., 1. Quod consilium Syracusius cum non improbasset, spectaculum iucundissimum se exhibiturum esse promisit. Ὁ οὖν Συρακόσιος, Ἀλλὰ ναὶ μὰ τὸν Δί, ἔφη, ὦ Σώκρατες, καλῶς τε λέγεις, καὶ ἐγὼ εἰσάξω θεάματα, ἐφ᾽ οἷς ὑμεῖς εὐφρανεῖσθε. Ita locutus quum Syracusius cum ludionibus suis exiisset: praeparationes quaedam ad spectaculum futurum adhibebantur. Namque Bacchi et Ariadnae nuptias se propositurum esse iste promiserat. Cf. c. IX. 9, 2. Itaque pro scaena solium in coenaculum apportatur, et Syracusius redux, ut prologi quasi vice defungatur, pronuntiat convivis, mox adfuturos esse duo numina, Bacchum et Ariadnen, nuptias suas celebraturos. Quae simul atque iste edixit: saltatrix in coenaculum prodit personam Ariadnae actura et vestibus sponsalibus ornata. Sed ipsum ego Xenophontem loquentem faciam, eius enim enarratio maxime confert ad rationes ludicri huius cognoscendas. Ita igitur ille l. l.: ἐκ δὲ τούτου πρῶτον μὲν θρόνος τις ἔνδον κατετέθη, ἔπειτα δὲ ὁ Συρακόσιος εἰςελθὼν εἶπεν· Ὦ ἄνδρες, Ἀριάδνη εἴσεισιν εἰς τὸν ἑαυτῆς τε καὶ Διονύσου θάλαμον. μετὰ δὲ τοῦθ᾽ ἥξει Διόνυσος, ὑποπεπωκὼς παρὰ θεοῖς, καὶ εἴσεισι πρὸς αὐτήν, ἔπειτα παιξοῦνται πρὸς ἀλλήλους. Ἐκ τούτου πρῶτον μὲν ἡ Ἀριάδνη ὡς νύμφη κεκοσμημένη παρῆλθε καὶ ἐκαθέζετο ἐπὶ τοῦ θρόνου. Οὔτω δὲ φαινομένου τοῦ Διονύσου, ηὐλεῖτο ὁ Βακχεῖος ῥυθμός. Ἔνθα δὴ ἠγάσθησαν τὸν ὀρχηςοδιδάσκαλον. Εὐθὺς μὲν γὰρ ἡ Ἀριάδνη ἀκούσασα, τοιοῦτό τι ἐποίησεν, ὡς πᾶς ἂν ἔγνω, ὅτι ἀσμένη ἤκουσε· καὶ ὑπήντησε μὲν οὔ, οὐδὲ ἀνέςη, δήλη δ᾽ ἦν μόλις ἠρεμοῦσα. Ἐπεί γε μὴν κατεῖδεν

αὐτὴν ὁ Διόνυσος, ἐπιχορεύσας, ὥσπερ ἂν εἴ τις φιλικώτατα, ἐκαθέζετο ἐπὶ τῶν γονάτων· καὶ περιλαβὼν ἐφίλησεν αὐτήν. Ἡ δ' αἰδουμένῃ μὲν ἐῴκει, ὅμως δὲ φιλικῶς ἀντιπεριελάμβανεν. Οἱ δὲ συμπόται ὁρῶντες ἅμα μὲν ἐκρότουν, ἅμα δὲ ἐβόων αὖθις. Ὡς δὲ ὁ Διόνυσος ἀνιςάμενος συνανέςησε μεθ' ἑαυτοῦ τὴν Ἀριάδνην, ἐκ τούτου δὴ φιλούντων τε καὶ ἀσπαζομένων ἀλλήλους σχήματα παρῆν θεάσαθαι. Οἱ δ' ὁρῶντες ὄντως καλὸν μὲν τὸν Διόνυσον, ὡραίαν δὲ τὴν Ἀριάδνην, οὐ σκώπτοντας δὲ, ἀλλ' ἀληθινῶς τοῖς στόμασι φιλοῦντας, πάντες ἀνεπτερωμένοι ἐθεῶντο. Καὶ γὰρ ἤκουον τοῦ Διονύσου μὲν ἐπερωτῶντος αὐτὴν, εἰ φιλεῖ αὐτὸν, τῆς δ' οὕτως ἐπομνυούσης, ὥςε μὴ μόνον τὸν Διόνυσον ἀλλὰ καὶ τοὺς παρόντας ἅπαντας συνομόσαι ἄν, ἦ μὴν τὸν παῖδα καὶ τὴν παῖδα ὑπ' ἀλλήλων φιλεῖσθαι. Ἐῴκεσαν γὰρ οὐ δεδιδαγμένοις τὰ σχήματα, ἀλλ' ἐφειμένοις πράττειν, ἃ πάλαι ἐπεθύμουν. Τέλος δὲ οἱ συμπόται ἰδόντες περιβεβληκότας τε ἀλλήλους καὶ εἰς εὐνὴν ἀπιόντας, οἱ μὲν ἄγαμοι γαμεῖν ἐπώμνυσαν, οἱ δὲ γεγαμηκότες ἀναβάντες ἐπὶ τοὺς ἵππους ἀπήλαυνον πρὸς τὰς ἑαυτῶν γυναῖκας, ὅπως τούτων τύχοιεν. Quae verba narrationis postrema licet iocum continere videantur: attamen spectaculum illud viva sua repraesentatione fuisse iucundissimum e tota illa narratione perspicitur. Neque tamen ludio ille Syracusius ad perfectissimos in genere suo adnumerari poterit: alioquin is in patria remansisset, neque longe vagabundus ad Athenienses emigrasset. Ut quae in ipsa Sicilia fabellae huiusmodi ederentur, politiores etiam fuisse et iucundiores iure aliquis suspicetur. Alterum insuper est, quod recte opinari mihi videor. Nimirum non in solis Bacchi nuptiis repraesentan-

dis ludiones Syracusios substitisse, verum aeque ac phlyacas supra commemoratos argumenta ludi sui variasse arbitror. Neque spectacula ista Syracusia ad eandem aetatem, quam Italorum phlyaces non sunt deducta. Certe enim e narratione Xenophontea hoc sequitur, iusta comoedia iam inventa mimos istos apud Syracusios adhuc fuisse usitatos.

Pertinet autem, quod modo descripsi, *θέαμα* ad saltationes. Id enim magis motu mimico, quam diverbiis actum esse videtur. Quod vix miraberis. Siquidem in toto terrarum orbe non facile reperti sunt, apud quos ars saltandi tantum fuerit exculta atque adamata, quantum apud Syracusios reliquosque Siculos. Hi enim saltationis artificiosae et periculosae, comicae et tragicae, lascivae et honestae genera plurima quidem invenerant, omnia autem edere consueverant. Inde igitur factum est, ut apud Graecos *σικελίζειν* idem, quod saltare significaret. Cf. Athen. lib. II. p. 22. a. Non male enim hoc verbo denotatur incredibilis, qua tenebantur homines Siculi, saliendi et saltandi cupido. Cf. Boettiger. Andeutungen p. 154. Omnes autem eorum saltationes magis minusve ad ludos mimicos accedebant. Quod ut argumento aliquo comprobem, afferam ex eodem Athenaeo locum de hac re gravissimum. Is est lib. XIV. p. 630. e. *Παρὰ δὲ Συρακουσίοις καὶ χιτωνέας Ἀρτεμίδος ὄρχησίς τις ἐςὶν ἴδιος καὶ αὔλησις. ἦν δέ τις καὶ Ἰωνικὴ ὄρχησις παροίνιος. καὶ τὴν ἀγγελικὴν δὲ πάροινον ἠκρίβουν ὄρχησιν. καλεῖται δέ τις καὶ ἄλλη ὄρχησις κόσμου ἐκπύρωσις, ἧς μνημονεύει Μένιππος ὁ κυνικὸς ἐν τῷ Συμποσίῳ. καὶ γελοῖαι δ' εἰσὶν ὀρχήσεις, ἴγδις καὶ μακτρισμὸς, ἀπόκινός τε καὶ σοβάς. ἔτι δὲ μορφασ-*

μὺς καὶ γλαὺξ καὶ λέων, ἀλφίτων τε ἐκχύσεις καὶ χρεῶν ἀποκοπὴ καὶ ϛοιχεῖα καὶ πυῤῥίχη. μετ᾽ αὐλῶν δὲ ὠρχοῦντο τὴν τοῦ κελευϛοῦ καὶ τὴν καλουμένην πινακίδα. Quo toto loco Athenaeum sermocinari de Syracusiorum saltationibus ni ipse sententiarum nexus persuaderet: inde quoque confici posset, quod praeter illam, quam primo loco allatam videmus, Dianae saltationem, aliae quoque uti Jonica a Polluce IV. 14. 4. ad Sicularum saltationum censum revocantur. Quarum aliae ut ad deos colendos erant institutae, qualis erat quae Dianae Chitoneae propria dicebatur: ita aliae iocularibus motibus atque lascivis ad spectatorum animos exhilarandos faciebant. Sed plurimas earum ad mimos accessisse ipsa produnt nomina. Quae huc pertinet, saltatio *κόσμου ἐκπύρωσις*, eius argumentum quale fuerit, coniecturis tantum aliquis assequi possit. Actiones autem ex hominum vita petitae eaeque maxime ioculares edebantur mimis illis, qui *ἀγγελικὴ, ἀλφίτων ἐκχύσις, χρεῶν ἀποκοπὴ, σοβὰς* dicebantur. Atque *ἀγγελικὴν* Pollux IV. 14. 4. ita designavit, ut nuntii *σχήματα* illa exhibita esse diceret. Quale nuntii argumentum imprimis in hominum deliciis fuisse, ex eo aliquis colligere queat, quod postea Sophron mimum *ὁ ἄγγελος* conscripsit. Cf. schol. German. 124. Magis etiam ad risum captandum comparata et lascivia quadam insignis esse debebat *σοβὰς* saltatio, qua grassantis meretricis motus, blanditiae, invitationes referebantur. Ita enim hoc vocabulum interpretati sunt Suidas et Hesychius s. v. Cf. Casaub. not. ad Athen. p. 115. Quin etiam imitandi cupido eo processit, ut nonnullae Siculis essent saltationes, quibus

bestiarum habitus, motus, voces imitarentur. Has omnes Athenaeus communi nomine μορφασμὸς designavit: Pollux enim IV. 14. vocabulum hoc ita exposuit: ὁ δὲ μορφασμὸς παντοδαπῶν ζώων μίμησις ἦν. Cf. Aristaenet. lib. I. epist. 2. Quarum duo tantum exempla attulit Athenaeus, quibus nomina leonis et noctuae imposita erant. Profecto autem maior earum erat numerus. Cf. Aristaen. l. l.

Omne hoc ludicrorum genus uti in universum multimodis et locis et temporibus exhiberetur: dubitari tamen nequit, quin eorum nonnulla tanquam spectacula mimica in ipsa scaena edi consueverint. Huc pertinet Solini breve illud quidem, sed gravissimum indicium, quod extat in polyh. cap. XI. ed. Basil. „*Hic (sc. in Sicilia) primum inventa est comoedia, hic et cavillatio mimica in scaena stetit.*„ Cuius loci initium uti Salmasius exercit. Plin. p. 76. B. recte eo est interpretatus, quod comoediae inventore Epicharmum maxime designari dicebat: ita verbis *cavillatio mimica* intelligi scias ludos illos atque saltationes, quae et ante tempora et post tempora Epicharmi in Siculorum scaena proponebantur. Quod autem cavillationes ludos hosce dixit Solinus: id fortasse ea de causa fecit, quod insignis erat in Siculis hominum ridendorum cupiditas. Eam enim efficiebat ipsa Siculorum indoles, cui malitia quaedam fuisse insita videtur. Cf. Photii bibl. p. 378. Hoc quoque vero simillimum esse censeo, ad exemplum mimorum istorum Sophronem singulare quoddam poematum genus excoluisse, quod nomine μίμων σπουδαίων et γελοίων satis innotuit. Quod autem Salmasius l. l. et post eum Muellerus in libello saepius laudato

Dor. II. p. 542. Sophronis mimos in scaena editos esse contenderunt: id e loco illo e Solino allato confici nequit.

Verum missis Syracusiis si per singulas Doriensium civitates pergerem: in omnibus fere bacchanalia et comica quaedam ludicra simul fuisse celebrata cognoscerem. Quae ni ubivis ita erant comparata, ut verae comoediae accenseri possent: attamen quaedam eius initia continuisse videntur. Ut hisce omnibus confirmetur, quae a multis prolata est sententia, ubicunque demum comoediae essent exhibitae, eas omnes e rerum Bacchicarum cultu esse exortas. De qua re prae ceteris memorabile est effatum Boettigeri in libro, cui titulus Andeutungen p. 165. „*Die Weinlese ist die Mutter aller Maskeraden, die nun wieder Gegenstand der dramatischen und bildenden Kunst wurden. Bei den Weinlesefesten entstanden alle Dramen des Alterthums. Vor allen blieb das Drama satyricum in seiner doppelten Abtheilung dem alten Charakter bauerischer Lust getreu. Sprünge und muthwillige Intermezzo's liegen in diesem Kreise. Die Polichinells und Arlechine und Clowns der alten Bühne sind die Satyrn und Panisken.* Cf. Heynii antiq. Aufs. II. 70. Welker. Anhang p. 220.

Sed, ut tandem ad Megarensium comoediam revertar, ei prae reliquorum Doriensium ludicris praestantiam aliquam fuisse ut supra dicerem, iudicium de ea re Aristotelis effecit. Quae praestantia quanam in re posita fuerit, si quae reliqui Dorienses comoediae specimina exhibuerunt, cum Megarensium fabulis comparaverit, quivis facile intelliget. Omnibus igitur, qui ad gentem Doriensem

pertinebant, hominibus communia erant carmina phallica, quae ad Bacchum colendum canerentur: phallum enim eorumque, qui eum sequerentur, cantilenas a nulla Bacchica pompa abfuisse testatur Plutarch. de divit. cup. c. 8. Quodsi Aristoteles loco nobilissimo, qui est poet. IV. 14. phallicis istis carminibus omnem comoediam esse exortam contendit: eius verba profecto ita sunt intelligenda, ut comoediae origo non tam ad ipsa carmina phallica, quam ad interludia, quae phallica plerumque antecederent vel sequerentur, referenda esse censeas. Ita enim ille: *ἐγένετο οὖν ἀπ' ἀρχῆς αὐτοσχεδιαςικῆς καὶ ἡ τραγῳδία καὶ ἡ κωμῳδία. καὶ ἡ μὲν ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὸν διθύραμβον, ἡ δὲ ἀπὸ τῶν τὰ φαλλικὰ, ἃ ἔτι καὶ νῦν ἐν πολλαῖς πόλεσι διαμένουσι, κατὰ μικρὸν ηὐξήθη.* Vides, ipsorum phallicorum recitationem hic omnino distingui ab initiis, illis non praemeditatis, a quibus comoedia inceperit. Ni enim discrimem eiusmodi interponere voluisset Aristoteles: profecto *ἀπὸ τῶν φαλλικῶν ηὐξήθη*, non autem *ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὰ φαλλικὰ* dixisset. Sive igitur cum Welkero aliisque *τὸν ἐξάρχοντα τὰ φαλλικὰ* eum, qui carmina phallica *praecineret*, sive eum, qui *caneret* fuisse cum Bentleio atque Hermanno statuis: hoc quidem est certissimum, non ex ipsis carminibus phallicis esse exortam comoediam, sed ab histrionibus illis, qui carmina phallica recitarent, simul rem aliquam esse propositam, ex qua deinde nata est comoedia perfectior. Quod enim e verbis Aristotelicis non admodum perspicuis divinari potius, quam colligi debet: histriones carmina phallica non continuo recitabant, sed variandi causa

ita interrumpebant, ut singuli invicem se excipientes delectamentum aliud sive interludium choreutis aliisque spectatoribus proponerent. Ita fere comoediae originem interpretatus est iam e veteribus aliquis, Euanthius sive quisquis demum auctor est libelli de trag. et comoed. p. 2. Neque desunt inter recentiores, qui eandem sententiam coniecturis suis sint assecuti. Cf. inprimis Vossius ad Virgil. Georg. p. 401. Thierschius ad Pind. I. p. 142. Welkerus in addit. p. 230., 231. Sed qualis tandem erat illa comoediae ἀρχὴ αὐτοσχεδιαστικὴ, sive interludiorum ratio, quibus vulgo phallicorum recitationem vel exordiebantur, vel excipiebant? Ad hanc rem illustrandam ne verbum quidem apposuit Aristoteles fortasse, quia priscis temporibus interludia illa diversis locis ipsa erant diversissima. Sed cum omnino ea ita comparata esse deberent, ut magis minusve ad rationes scaenicas accederent: qualia illa fuerint, coniectura facile assequi licet. Erant igitur vel saltationes mimicae, uti apud Lacedaemonios et Siculos, vel petulantia dicteria, qualia Sicyoniorum, vel narratiunculae ioculares, quales Megarenses exhibuisse videntur. Ut verbis paucissimis dicam, illa comoediae primordia erant varia interludia initio a singulis, postea a pluribus ludionibus repraesentata.

Quae omnia ut facilius inter se comparari queant, supra copiosius disputata nunc ad brevissimum conspectum revocare iuvat. Itaque, qui apud Sicyonios erat, phallophororum ludus ita fiebat, ut versibus phallicis decantatis singuli phallophori dicteria effunderent, quae neque inter se

connexa essent, neque ad unam aliquam actionem pertinerent. Histriones autem Spartanorum cum δείκελα sua sive μιμήματα ederent: in hominis alicuius habitu, gestu, sermone, gradu imitando consistebant. Neque tamen historiunculae, qualescunque demum spectaculis istis mimicis edebantur, hac ratione erant compositae, ut actionis causas atque initia, tum eius progressum et finem, tandem effectum sensim sensimque cognosceres. Verum paulo artificiosiores mihi fuisse videntur Italorum et Siculorum φλύακες. Erat enim eorum argumentum actio aliqua, quae a compluribus ludionibus ederetur. At iidem ad verae fabulae rationes nondum erant conformati. Nam ludiones, ut hoc silentio praetereeam, eos magis mimis quam diverbiis usos fuisse, ludiones inquam actionis cuiusque gravissimam partem exhibebant, quin quae singula antecederent et consequerentur, affatim explicarent. Aliquanto igitur his omnibus Doriensium ludicris perfectior erat Megarensium comoedia, qualem supra descripsi. Licet enim singularum rerum expositio et elocutio neque praemeditata esset neque artificiosa: attamen unum actionis alicuius argumentum, quo omnia sua diverbia deinceps dirigerent, histriones praevie inter se constituebant. Quod argumentum quantulumcunque demum erat, certis quibusdam finibus ita illi circumscribebant, ut actionem ab antecedentibus ad res consequentes procedere sentires.

Haec autem argumenta Megarensium comoedorum sive diverbia sive fabellas (μικροὺς μύθους) ea dicis, erant varia. Quae cum apud Nisaeos Megarenses per summam imperii popularis licen-

tiam essent exorta — cf. Aristot. et Plut. l. l. —: ea profecto ad optimates, quique cum iis erant, acerbissime cavillandos dirigebantur. Quapropter harum comoediarum indolem hanc fuisse existimo, ut iocularis aliqua de prisca reipublicae forma eiusque administratoribus historia sive ficta sive vera proponeretur. Quam quidem singulos homines et rem publicam deridendi consuetudinem postea retulit eadem de causa antiqua Atheniensium comoedia. Sed quo tempore in Siciliam illa Megarensium ludicra transferebantur: tum apud Siculos Megarenses imperium optimatum obtinebat. Atque id in ea civitate retentum est, donec Gelo urbe ipsa deleta cives Syracusas transduxit. Unde factum est, ut Theognis poeta, qui ex optimatibus Nisaeorum Megarensium erat, expulsus a Siculorum Megarorum civibus summa cum benevolentia exciperetur. Quae cum ita essent, comoedia recens illata, licet omnibus placeret: ab optimatibus et universe a singulis hominibus cavillandis abstinere debebat. Ibi igitur comoediae histriones argumenta sua maxime e mythologia desumebant. Quod eo magis ii fecisse videntur, cum et apud Italos reliquosque Siculos hic mos esset vetustissimus, ut histriones narratiunculas e mythologia repetitas ad ludicra iocularia traducerent. Tertium adhuc, quod addi potest, argumentorum genus utrique civitati commune fuisse opinor. Namque habebant fabulas quasdam ioculatorias, quibus, licet eae a singulorum hominum cavillatione essent alienae, actiones e vulgari hominum vita depromtae ad risum captandum proponerentur. Quarum nonnullis statae quaedam personae, uti parasiti, coqui, servi

dicacis, aliorum vindicandae esse videntur. De quibus imprimis ea sunt conferenda, quae supra de Maesone, Megarensium histrione disputavi. Atque post Maesonem Epicharmum quoque hoc fabularum genus excoluisse infra docebo.

Diutissime autem, quae inter Megarenses exorta erant, ludicra in Siculorum Megarensium urbe et inde tralata in reliquis Siciliae oppidis edebantur: quin hoc in animum suum quisquam induceret, ut ea ad severiora artis praecepta revocaret et scriptis mandaret. In universum scriptor anonymus, cuius de comoedia disputatio Kusteri Aristophani praemissa est, p. XII. comoediae huius non perscriptae naturam ita descripsit; *οὗτος ὁ Ἐπίχαρμος τὴν κωμῳδίαν διεῤῥιμμένην ἀνεκτήσατο πολλὰ προςφιλοτεχνήσας,* Quod grammatici huius iudicium si sequimur: comoediam, qualis ante Epicharmi tempora in Graecia, Italia inferiore, Sicilia erat usitata, fuisse *διεῤῥιμμένην* est existimandum. Hoc autem vocabulum *διεῤῥιμμένη* cum latino *dispersa* plane respondeat: comoedia dispersa profecto non alia esse potuit, quam series fabellarum sive *μικρῶν μύθων* ita composita, ut singulae quidem unum aliquod argumentum exhiberent, verum ipsae inter se aut prorsus nexu atque ordine carerent aut vinculo laxissimo continerentur. Fieri quoque potuit, ut singulas fabellas saltationes comicae aliave delectamenta intercederent. Eodem fere modo originem iustae tragoediae exposuit Aristoteles, cum eam *ἐκ μικρῶν μύθων* extitisse diceret. Quam Aristotelis dictionem Casaubonus de poesi sat. p. 16. ita est interpretatus: *Dum ars adhuc ignorabatur, carptim multa perstringi solita:-*

fabulam vero componere neque moris erat neque pro captu eorum seculorum: deinde condi coepere fabulae, sed minutae et imperfectae. Haec erant artis nascentis rudimenta quaedam.' Profecto hi μικροὶ μῦθοι eodem sensu tragoediae elementa ab Aristotele dicuntur, quo scriptor anonymus in parvulas partes dispersam comoediam fuisse indicat. Ludiones autem, a quibus fabellae istae exhibebantur, personas comicas prae se ferebant, neque singuli in proscenium prodibant, sed complures simul, ut diverbia sua eloquerentur. Quodsi aliquis ex me quaesiverit, unde id scirem: is meam me sententiam ex eo efficere sciat, quod personarum, et complurium histrionum, et diverbii in comoedia usus ita vetustus erat, ut Aristotelis aetate nescirent, cuinam harum rerum inventio esset tribuenda. Qua de causa Aristotelis poet. V. 5., ubi de comoediae origine sermocinatur, haec sunt verba: τίς δὲ πρόσωπα ἢ λόγους ἢ πλήθη ὑποκριτῶν καὶ ὅσα τοιαῦτα (sc. ποιεῖν ἦρξε) ἠγνόηται.

Sed quaenam harum fabellarum ratio fuerit, quoque modo ex iis demum iusta fabulae comicae compositio sit consecuta, ut facilius perspiciatur: rem edocebo exemplo non ficto illo, sed vero, in quo exponendo tum quibusdam vasculorum picturis, tum comoedia aliqua Epicharmea me adiuvari videbis. Itaque, quod supra e vasculi alicuius pictura demonstravi, habebant Itali sive Siculi fabellam, cuius argumentum desumtum erat e lepida illa de Vulcano narratione, qui matrem Iunonem Iove iubente magicae sellae adligaverat. Rem enarravit Photius in lexico s. v. Ἥρας δέσμους ὑπὸ υἱέος. πολιτείας Β οὕτω γραπτέον. παρὰ Πινδάρῳ

γὰρ ὑπὸ Ἡφαίστου δεσμεύεται ἐν τῷ ὑπ' αὐτοῦ κατασκευασθέντι θρόνῳ. ὅ τινες ἀγνοήσαντες γράφουσιν ὑπὸ Διός. καί φασιν δεθῆναι αὐτὴν ἐπιβουλευσαμένην Ἡρακλεῖ: ἡ ἱστορία καὶ παρ' Ἐπιχάρμῳ ἐν Κωμασταῖς ἢ Ἡφαίστῳ. Cf. Suidas s. v. Huic igitur fabellae nomen *Junonis vincula* aliquis tribuere possit. Alterius autem, quae illam excipiebat, fabellae argumentum, licet id e veterum indiciis adumbrare nequeam, facillime tamen, quale esse debuerit, excogitari licet. Namque Vulcanus ob iniuriam matri illatam ab illa ipsa et ab iis, qui cum illa faciunt, vexatur. Exoriuntur rixae, certamina, tumultus inter Olympios. Causa tandem cadit Vulcanus. Magis etiam vexatur, ut sponte demum ex Olympo in Lemnum insulam secedat. Haec altera fabella a Vulcano ex Olympo deiecto denominari potest. Tertiae autem, qua Vulcani cum matre reconciliandi in Olympum reditus edebatur, argumentum in plurimis vasculis fuisse adumbratum supra ostendi. Tres igitur habebant illi fabellas, quae hoc ordine sequebantur: Junonis vincula, Vulcanus ex Olympo detrusus, Vulcani ad Olympios reditus. Quae utrum singulae separatim et diversis temporibus, an simul atque deinceps edi consueverint, hic quaerere nihil attinet. Sed venit tandem aliquis, qui tres illas fabellas ad unam fabulam comicam ita coniungeret atque adornaret, ut fabulae initium, pars eius media, quae *περιπέτειαν* quandam contineret, finis denique distingui atque perspici posset. Is erat Epicharmus, cuius comoediam *Ἥφαιστος ἢ Κωμασταὶ* antiquitas habebat. Atque priorem eius partem Photius l. l. significavit, alteram ipse comoediae titulus affatim prodit. Itaque

argumentum comoediae antea dispersae, ab Epicharmo autem restitutae ita procedebat. Jupiter Junoni iratus, quod filio ipsius insidias struxerit, Vulcanum sellam fabricari iubet, cuius vinculis superba ista coeli regina adligetur. Utrumque summa religione efficit sedulus ille Olympiorum minister. Verum mox coelicolarum aliqui ad Junonem iuvandam accedunt. Oritur inde certamen inter eos, qui deam vinculis solvere student et inter illos, quos admirabile illud spectaculum delectat. Hi tandem cedunt, et bonus Vulcanus ab adversariis ita vexatur, ut inops consilii ex Olympo prorsus abeat atque in Lemnum suam proficiscatur. Verumtamen vixdum aliquamdiu abest, cum ioci eius et petulantia facinora ab Olympiis vehementer desiderantur. Quis est enim, qui nesciat, illum iam apud Homerum scurrae partes egisse? Bacchus igitur unanimi deorum consilio in terras demittitur, qui Vulcanum reducere studeat. Negat ille, vehementer se rediturum esse negat. Sed vinum praebet alter, quo ebrius factus Vulcanus consilii capti prorsus obliviscitur. Adsunt Bacchi comites, festiva Satyrorum turba. Tollitur in asinum bonus Vulcanus, et nescius profecto, quo tendat iter, in Olympum revehitur.

Bene nobiscum actum est, quod tot etiamnum priscae Doriensium comoediae supersunt reliquiae sive indicia, ut inter comoediam illam ab Epicharmo artificiosius excultam et inter eius initia comparatio institui potuerit. Qua, quod modo fecimus, instituta, quid et iis, qui primi fabulas illas minutas et imperfectas edere inceperint, et comoediae postea excultae auctoribus sit tribuendum, nemo

non intelligit. Namque illi licet longe a vera comoedia abessent: multum tamen ad eam perficiendam contulerunt, neque eius inventae gloria una et indivisa impertienda est illi, qui vestigia eorum persecutus in comoedia perficienda palmam attigit. Eum fuisse Epicharmum iam satis significavi neque aliter loco supra allato iudicavit scriptor anonymus. Quam is comoediae attulit emendationem, eam anonymus verbo ἀνεκτήσατο declaravit. Cuius vocabuli cum haec sit notio, ut qui dispersa et secum coniungenda consarcinat et restituit ἀνακτήσασθαι dicatur: Epicharmi emendatio in hoc posita esse anonymo videbatur, quod is fabellas ad unam fabulam maiorem et perfectam coniunxerat, eiusque initium et περιπέτειαν et solutionem effecerat. Id autem quod ἀνακτήσασθαι anonymus: Aristoteles μύθους ποιεῖν dixit. Cf. Arist. poet. V. 5. Haec autem verba ipse est interpretatus poet. VI. 8., ubi haecce reperiuntur: τὸ δὲ μύθους ποιεῖν ἐςι μίμησις πράξεως ἢ σύνθεσις τῶν πραγμάτων. Eum igitur μύθους ποιοῦντα dicimus, qui actiones minutas, quae Aristoteles πράγματα, διεῤῥιμμένα anonymus nuncupavit, ifa componit (σύνθεσις τῶν πραγμάτων sive ἀνακτήσασθαι), ut una eaque maior actio inde efficiatur et perfectior. (μίμησις πράξεως). Vides utrumque auctorem de re gravissima consentire. Atque in eo tantum discrimen quoddam sententiarum est positum, quod anonymus emendationem illam soli Epicharmo, Aristoteles autem et Phormidi et Epicharmo tribuit. Ita enim ille poet. V. 5. τοῦ δὲ μύθους ποιεῖν Φόρμις καὶ Ἐπίχαρμος ἦρξαν. Quod autem anonymus silentio Phormidem praeteriit, maxime ex eo explicandum

esse videtur, quod artis gloria Phormidem Epicharmus longe post se reliquit.

Verum cum Phormis atque Epicharmus in comoediis suis μύθους ποιεῖν incepissent: recte omnino iudicasse videntur veterum critici, qui duobus istis inventae comoediae gloriam tribuerent. Eorum enim emendatione factum est, ut quae antea rudia atque imperfecta ludicra fuissent, verae demum fierent comoediae. Itaque alii hanc comoediae inventae gloriam uni Epicharmo, alii Phormidi simul et Epicharmo, alii omnino Siculis adiudicarunt. Cf. Aristot. poet. III. 5., scriptor anonym. l. l., Theocrit. epigr. XV. Themist. orat. XIX. p. 337., Solin. polyh. V. pag. 14., F. Diomed. gr. p. 486. Putsch., Eudocia p. 166. Suidas s. v. Ἐπίχ. Neque ante duos illos quenquam comoedias scriptis mandasse ex eo conficitur, quod sunt omnium antiquissimi, quorum comoediarum tituli a veteribus laudentur. Itaque Bentleius Phalar. p. 258. Epicharmum primum comoedias perscripsisse recte iudicavit. Verba eius commemoratu dignissima haec sunt: *plerique, qui de comoediae origine sunt locuti, silentio praetermiserunt Susarionem et ceteros, qui illis temporibus vixerunt, eiusque inventorem fecerunt Epicharmum. Nam, ut videtur, nihil in eo genere scriptum fuit et in posteritatis memoriam propagatum ante Siculi istius tempora.* Neque idem de Epicharmo non censet Naeke. Choeril. p. 6., qui eum se comoediae principem, qui primus comoediam scripserit, existimare profitetur.

Phormis igitur, nam ab eo incipiam, de Epicharmo postea copiosius disputaturus, Phormis inquam cum Maenali, oppido Arcadio natus esset, aetate ali-

quantum provectus Syracusas transiit, ibique Geloni atque Hieroni multifaria domi bellique ministeria exhibuit. Quibus is nactus est tantam rerum opulentiam, ut donum alterum in nemus Olympium, alterum Apollini dedicatum Delphos miserit. Atque prius istud, cum totum ex aere et ab artificibus praeclarissimis fabricatum esset, non parum habuisse pretii videtur. Rem omnem a Pausania eo loco, quo in monumentis, quae in nemore Olympio erant, describendis versatur, enarratam habes V. 27, 1. *ἐν δὲ αὐτοῖς καὶ τὰ ἀνατεθέντα ἐςὶν τοῦ Μαιναλίου Φόρμιδος, ὃς ἐκ Μαινάλου διαβὰς ἐς Σικελίαν παρὰ Γέλωνα τὸν Δεινομένους καὶ ἐκείνῳ τε αὐτῷ καὶ Ἱέρωνι ὕςερον ἀδελφῷ τοῦ Γέλωνος ἐς τὰς ςρατείας ἀποδεικνύμενος λαμπρὰ ἔργα, ἐς τοσοῦτο προῆλθεν εὐδαιμονίας ὡς ἀναθεῖναι μὲν ταῦτα ἐς Ὀλυμπίαν, ἀναθεῖναι δὲ καὶ τῷ Ἀπόλλωνι ἄλλα ἐς Δελφούς. τὰ δὲ ἐς Ὀλυμπίαν δύο τέ εἰσιν ἵπποι καὶ ἡνίοχοι δύο, ἑκατέρῳ τῶν ἵππων παρεςὼς ἀνὴρ ἡνίοχος. ὁ μὲν δὴ πρότερος τῶν ἵππων καὶ ὁ ἀνὴρ Διονυσίου τοῦ Ἀργείου, τὰ δεύτερα δὲ ἔργα ἐςὶν Αἰγινήτου Σίμωνος. τῷ προτέρῳ δὲ τῶν ἵππων ἐπίγραμμα ἔπεςιν ἐπὶ τῇ πλευρᾷ, τὰ πρῶτα οὐ σὺν μέτρῳ. λέγει γὰρ δὴ οὕτω·*

Φόρμις ἀνέθηκεν Ἀρκὰς Μαινάλιος, νῦν δε Συρακόσιος.

Maxime autem virtus bellica Phormidi multorum et laudes et amicitiam comparavit. Inde enim factum est, ut adeo civis Syracusius, Lycortas quidam Phormidis statuam effingi atque Olympiae collocari curaverit. Quae quidem ita erat comparata, ut Phormidem cum hostibus pugnantem repraesentaret. Et haec tradit Pausanias l. l. 27., 7. *Ἔςι δὲ ἐν τοῖς ἀναθήμασι τούτοις καὶ αὐτὸς ὁ Φόρμις*

ἀνδρὶ ἀνθεςηκὼς πολεμίῳ καὶ ἐφεξῆς ἑτέρῳ καὶ τρίτῳ γε αὖθις μάχεται. γέγραπται δὲ ἐπὶ τούτοις τὸν ςρατιώτην μὲν τὸν μαχόμενον Φόρμιν εἶναι τὸν Μαινάλιον, τὸν δὲ ἀναθέντα Συρακόσιον Λυκόρταν. δῆλα δὲ ὡς οὗτος ὁ Λυκόρτας κατὰ φιλίαν ἀναθείη τοῦ Φορμίδος. τὰ δὲ ἀναθήματα τοῦ Λυκόρτα καλεῖσθαι Φορμίδος καὶ ταῦτα ὑπὸ Ἑλλήνων. Hunc vero Arcadium Phormidem et poetam Syracusium unum eundemque fuisse iam Bentleius indicavit in Opusc. phil. p. 240. Neque equidem video, cur Muellero. Dor. II. p. 360. fieri non posse videatur, ut militum dux simul sit poeta.

Sed aliquot insuper de Phormide indicia debemus Suidae, qui s. v. ita disserit: Φόρμος. Συρακούσιος, κωμικὸς, σύγχρονος Ἐπιχάρμῳ, οἰκεῖος Γέλωνι, τῷ Σικελίας τυράννῳ καὶ τροφεὺς τῶν παίδων αὐτοῦ. ἔγραψε δράματα ζ. ταῦτα. Ἄδμητος, Ἀλκίνοος, Ἰλίου πόρθησις, Ἵππος, Κηφεὺς ἢ Κεφαλαῖα, Περσεύς. ἐχρήσατο δὲ πρῶτος ἐνδύματι ποδήρει καὶ σκηνῇ δερμάτων φοινίκων. καὶ ἑτέρου δὲ δράματος Ἀθηναῖος μέμνηται ἐν τοῖς Δειπνοσοφίςαις, Ἀταλάντης. De quo quidem Suidae loco hoc primum monendum esse videtur, ne quis suspicetur repugnare sibi Pausaniam, qui Peloponnesium Phormidem dixerit et Suidam, qui Syracusium eum fecerit. Quod enim scriptores saepissime faciunt, patriam Phormidis Suidas ab illo loco denominavit, quo diutius erat commoratus. Minus autem de tempore, quo Phormis vixerit, dubitare licet. Suidas enim Epicharmi, quem Ol. LX. inter et LXXXII. vixisse infra demonstrabo, aequalem eum fuisse dicit. Quocum omnino congruit alterum istud de Phormide testimonium, fuisse eum familiarem Ge-

lonis atque eundem regem ipsi liberorum suorum educationem demandasse. Quam quidem summam tyranni in Phormidem benevolentiam effecerat viri huius non tantum egregia ars atque eruditio, verum etiam virtus et fortitudo bellica. Uti, quae de belli duce significavit Pausanias, facillime cum Suidae testimonio coniungi queant.

Is primam suam comoediam Syracusis edidit. Suidas enim de Epicharmo s. v. haecce refert: Ἐπίχαρμος, ὃς εὗρε τὴν κωμῳδίαν ἐν Συρακούσαις ἅμα Φόρμῳ. Hoc factum est circa Ol. LXXI. Nam eodem tempore Epicharmum primam suam fabulam Megaris docuisse infra docere conabor. Qua quidem in re id aliquis mirari possit, uno eodemque tempore locis diversis et a diversis auctoribus unam eandemque rem, comoediam esse inventam. At, quod bene est considerandum, hoc inde factum est, quod vetustissima illa ludicra, quibus uterque poeta ad comoediam perfectiorem excolendam impelleretur, tum temporis et Megaris et Syracusis efflorescere inceperant.

E ludicris istis Phormis comoediae suae argumenta desumsit; id enim e titulis comoediarum a Suida enumeratis coniicere licet. Namque Phormidis fabulas, licet ab eo ut a comico ad comicas rationes conformari deberent, omnes e mythologia esse repetitas nemo non intelligit. Idem autem argumentum, eadem fabulae conformatio erat histrionum illorum, qui prisca illa Siculorum ludicra edebant. Sed fieri non potest, ut accuratior argumentorum expositio et perspicua tractationis enarratio exhibeatur. Nam neque supersunt comoediarum eius reliquiae, neque veterum criticorum indicia

de fabulis eius extant copiosius enarrata. In universum inter Phormidis comoediam et inter Epicharmeam multum similitudinis interesse debebat: alioquin de comoediae *Atalantae*, quae ab aliis Phormidi, ab aliis Epicharmo tribuebatur, auctore dubitari non potuisset. Cf. Suidas. l. l. Athen. lib. XIV. p. 652. a. p. 618. e. Superest unum, quod certum de Phormide confirmare licet. Is enim nonnulla in scaena exornanda et histrionibus vestiendis immutavit. Namque scaena, quali comoediae histriones ante Phormidis tempora utebantur, suggestus ligneus erat et apposita scala. His autem nullum prorsus additum erat ornamentum scaenicum. Rem ita esse videbis, si vasculorum picturas illas, quibus priscae Siculorum comoediae specimina exhibentur, inspexeris. Exempli causa cf. Hancarville. tom. III. pl. 108. Millin. Galerie mythol. 13. 48. Phormis igitur primus suggestum stragulis purpureis exornavit. Sed quonam modo et quibusnam scaenae partibus hoc purpurae ornamentum Phormis applicuerit: id e Suidae verbis non omnino perspicuis σκηνῇ δερμάτων φοινικῶν patefieri nequit. Verum qualiscunque demum haec erat nova scaenae exornatio: placebat ea reliquis Siculis ita, ut eam et suis pulpitis addere inciperent. Inde fortasse factum est, ut ea et in Nisaeorum Megarensium urbem traduceretur. Ibi enim temporibus multo etiam serioribus choragi ob purpurae abusum ridebantur. Cf. Aspasii. comment. ad Arist. ethic. Nicom. IV. 2., et quae supra de re ea dixi. Uti autem ipsa scaena ante Phormidis tempora omni ornatu erat destituta: ita iocularia supra modum, non raro inepta erant indumenta

et personae histrionum. Id quidem ex iis, quae supra de personis, quales Bacchanalibus adhibebantur, disputavi, quivis facile intelligit. Sed maxime hic attendendum est ad vasculum illud Mengianum a Winkelmanno dilucidatum, quo ipsi dii ornatu paene scurrili et nimium iocoso exhibentur. Quae quidem ornamenta ut ita dicam scurrilia, quamdiu comoediae initia minuta et rudia erant atque imperfecta, non inepta esse videbantur. Sed simulac iusta fabulae magnitudo et in universum artis quaedam politura ad comoediam accessit: ad scaenae quoque atque histrionum ornamenta decor aliquis erat adhibendus. Phormis igitur, quin personas comicas omnino abiiceret, histriones illos, qui partes primarias sustinerent, novo indumento exornare incepit. Id est, quod Suidas *ἔνδυμα ποδῆρες* dixit. Quae palla erat alba et tantae longitudinis, ut ad pedes usque delaberetur. Tali palla cum vulgo induerentur tragoedi: ea nunc *ϛολὴ τραγῳδοῦ*, nunc *ποδήρης χιτὼν* a veteribus dicebatur. Cf. Lucian. Jupit. trag. 41., Cynic. 16. Winkelmann. op. tom. V. p. 173.

Tertius insuper praeter Phormidem et Epicharmum Doriensium comoediae poeta laudatur. Quem duobus illis aetate proprinquum circa Ol. LXXIII. floruisse, et Epicharmi aut filium, aut discipulum fuisse tradunt. Ita enim Suidas s. v. *Δημόλοχος. Συρακούσιος ἢ Ἀκραγαντῖνος, κωμικός. ἦν δὲ επὶ τῆς ογ' Ὀλυμπιάδι. υἱὸς Ἐπιχάρμου, ὡς δέ τινες, μαθητής. ἐδίδαξε δράματα ιδ' Δωρίδι διαλέκτῳ.* Atque nomen *Δημόλοχος* in *Δεινόλοχος* immutandum esse statuit Bentleius Opusc. phil. p. 413. Quod quidem is recte fecisse videtur tum, quia

hominis Graeci nomen Δημόλογος prorsus non exstabat, tum quod poeta ille comicus ab aliis Graecis auctoribus Δεινόλοχος dictus est. Cf. Pollux p. 500. Hesychius s. v. ἄδος, μυρμήκια, ὀλβάχιον.

Dinolochus igitur ad exemplum Epicharmi praeceptoris Doricum sermonem ad fabulas suas quatuordecim adhibuit. Quarum argumenta, quantum e titulis coniici licet, is ita pertractavit, ut fabulas e mythologia desumtas ad rationes comicas revocaret. Nominatim enim duae eius fabulae, Amazones et Telephus laudatae inveniuntur. Priorem illam Pollux l. l., alteram Athenaeus lib. III. p. 111. c. laudarunt. Licet enim loco illo Athenaei vulgata lectio reperiatur, Ἀρχίλοχος ἐν Τηλέφῳ: Archilocho tamen Dinolochum esse substituendum certissimum est. Qui primus hanc emendationem protulit, Ruhnkenius ad Vellej. Paterc. tom. I. p. 20., eam hisce argumentis confirmavit. Neque enim Telephum scripsisse Archilochum, neque vocem *panis*, quam e Telepho comoedia attulit Athenaeus, eum nosse potuisse censet. Tum provocat ad Grammaticum MS. in bibl. Sangerm., qui haec verba habet: Πιττάκιον εἶπε Δεινόλοχος Τηλέφῳ. Neque sententiam eius improbavit Schweighaeuser. animadv. ad Athen. tom. II. p. 278.

Verum et Dinolocho et Phormidi arte sua perfectissima ita offecit Epicharmus, ut omnis eorum memoria obscurata pene evanuerit. Cf. Dahlmann. de orig. comoed. p. 20. Quod enim neque reliquiae fabularum Phormidis et Dinolochi supersunt, neque nisi minutissima de iis veterum habemus indicia: id e maiori quam in arte sua

assecutus est Epicharmus, praestantia est explicandum. Sed priusquam de ipsius Epicharmeae comoediae natura disputare incipiamus: nonnulla de viri huius nobilissimi vita et doctrina praemonenda esse arbitror.

II.

DE EPICHARMI VITA ET DOCTRINA.

Rem admirabilem, quaeque non facile aliis scriptoribus contigerit, Epicharmo poetae contigisse s. v. *Διονύσιος* enarravit Suidas. Is enim Dionysium minorem, Syracusarum tyrannum epistolas de Epicharmi poematis conscripsisse tradit. Sed, quod regali isto studio et aliis quibusdam indiciis moti suspicamur, multa insuper a multis de poeta illo tantopere celebrato apud veteres enarrata circumferebantur. Quibus adnumerari debent non tantum Alcimi Sicilica eiusque de philosophia Epicharmea ad Amyntam libri — vid. Athen. lib. VII. p. 322. a. Diog. Laert. lib. III. 90. — et Neanthis libellus *περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν*, cui nonnulla de Epicharmo fuisse inserta s. v. *Κράςος* Stephanus Byzantinus affatim significavit: verum etiam multo magis huc pertinet Apollodorus ille, doctus Atheniensium grammaticus, a quo singulares quaedam de Epicharmo commentationes erant concinnatae. Id e Suidae verbis s. v. *καρδιώττειν* omnino conficitur. *Ἀπολλόδωρος ἐν ἕκτῳ περὶ Ἐπιχάρμου, τοὺς Σικελιώτας φησὶ τὸ τὸν ςόμαχον ἐπιδάκνεσθαι ὑπὸ λίμου καρδιώττειν λέγειν.* Quamnam autem rationem ille in commentariis suis conscribendis fuerit secutus, cognosci poterit tum ex ipsis illis Suidae verbis, tum e loco quodam, qui apud Athenaeum lib. XIV. p. 648. d. reperi-

tur. C. Heynii fragm. Apollod. pag. 442. sq. Ibi enim Athenaeus, cum de comoedia quadam, quae falso Epicharmo tribuebatur, disputaret, eamque non esse genuinam ipse statueret, ad Appollodori iudicium verbis ὡς ἱστορεῖ Ἀπολλόδωρος provocavit. Ita igitur grammaticus ille libri sui argumentum conformaverat, ut maximam certe partem in ipsis Epicharmi poematis illustrandis versaretur. Quod ni e locis Suidae et Athenaei allatis patefieret: ex aliis insuper cum Casaubono not. ad Athenaeum lib. VII. c. 6. demonstrare posses. Ipsa Apollodori illa commentatio in decem libros erat distributa. Porphyrius enim in vita Plotini c. 24. Apollodorum Epicharmi poemata in X libros digessisse confirmat. Quodsi autem poemata, ad quae commentarii illi pertinebant, in X libros erant divisa, eadem in ipsos commentarios divisio cadere debebat. Licet igitur primarium libri argumentum ad ipsa Epicharmi poemata spectaret: fieri tamen non potuit, quin multa eaque gravissima de rebus et vita poetae eo continerentur. Quo magis dolendum esse videtur, quod neque huius Apollodori commentationis, neque tyranni illius epistolarum ne vocula quidem ad nos pervenerit. Exigua enim sunt et dispersa per auctores diversissimae aetatis subsidia illa, quibus nunc in Epicharmi vita describenda adiuvamur. Habemus vitam Epicharmi, quam descripsit Diogenes Laertius in hist. philos. lib. VIII. segm. 78., ita in breve coactam, ut mutilum potius fragmentum, quam iustam vitae enarrationem eam esse arbitreris. Profecto Diogeni isti suppeditabant indicia de poeta nostro copiosius exposita, unde sua hauriret: neque adeo

Epicharmi ipsius de vita sua atque origine sua testimonia illi defuisse videntur. Id enim non male aliquis coniiciat e verbis l. l. ἐκεῖθεν δὲ εἰς Συρακούσας, ὥς φησι καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς συγγράμμασιν. Verum ex indiciis istis paucula tantum eaque, quae sibimet ipsi gravissima viderentur, selecta ita composuit, ut rerum ordo atque nexus non cuivis comparere queat. Hinc factum est, ut vita illa non tantum iusta careat perspicuitate: verum etiam iis, qui rem non satis indagassent, repugnantiae vitio laborare videretur. Ad ea autem, quae Diogeni debemus, supplenda accedunt et indicia quaedam Plutarchi, Aeliani aliorumque brevissima, et Suidae inprimis de Epicharmo s. v. Επίχ. testimonium. Quod quidem eadem, qua Diogenis vita, nimiae brevitatis nota laborat. Suidas enim, cum ad ipsius aetatem neque accurata vitae Epicharmi cognitio, neque adeo ipsa Epicharmi poemata integra pervenissent: excerpta e diversis auctoribus petita ad rerum eiusmodi notitiam sibi comparandam legebat. Ex aliis igitur alia desumta cum non congruere vidisset: nullo adhibito iudicio composuit. Quapropter si ex unius Suidae verbis adjumenta petiveris: parumper tantum in vita Epicharmi explicanda proficies; verum supersunt in iis vestigia quaedam, quibus ductus non tantum ea, quae in Diogenis vita desunt, complere, verum illam ipsam accuratius explicare possis.

Eo autem, quod veterum de Epicharmo testimonia ita, ut dixi, sunt comparata, haud dubie accidit, ut qui e recentioribus primi ad Epicharmi vitam enarrandam operam suam contulissent, in miros errores prolaberentur. Quale est quod non-

nulli uti Thomas di Pinedo in breviario auct. Sicul., Saxius in Onomast., Harlesius ad Fabricium, cum diversa veterum de Epicharmo indicia coniungere non possent, non unum sed duos Epicharmos in antiquitate vixisse contenderent. Cum igitur Epicharmum, qui medicus simul fuerit atque philosophus, probe discernendum esse putabant a poeta Syracusio. Quinimo alii, quorum caput est Facellus dec. I. de rebus Siculis lib. IV. c. 1. ulterius etiam sunt progressi, et duobus illis tertium Epicharmum, Crasto urbe oriundum addiderunt. Cui quasnam partes sustinendas traderent, ipsi fortasse nesciebant. Verum etiam ii, qui a vero non admodum aberrarunt, neque unum nostrum Epicharmum in plures discerpserunt, ad unum illum, qui nuperrime de ea re disputavit, O. Muellerum Dor. II. p. 350. seqq., omnes rem ad liquidum non perduxerunt. Quaestionibus enim suis neque omnia, quae poterant, de Epicharmi vita explicuerunt, neque accurato satis iudicio singulorum auctorum testimonia perpenderunt. Quorum errores facillime, quod spero, dissolventur, cum ipse, quantum id pro subsidiis, quae adhuc extant, fieri potest, vitam Epicharmi illustraverim. —

Atque ut ab Epicharmi patria initium faciamus: de ea vix quisquam dubium movere potest. Ita enim Diog. Laert. in vita supra laudata. Ἐπίχαρμος Ἡλοθάλους, Κῶος. καὶ οὗτος ἤκουσε Πυθαγόρου. τριμηνιαῖος δ᾽ ὑπάρχων ἀπηνέχθη τῆς Σικελίας εἰς Μέγαρα. ἐντεῦθεν δὲ εἰς Συρακούσας, ὥς φησι καὶ αὐτὸς ἐν τοῖς συγγράμμασι. καὶ αὐτῷ ἐπὶ τοῦ ἀνδριάντος ἐπιγέγραπται τόδε.

Εἴ τι παραλλάσσει Φαέθων μέγας ἅλιος ἄστρων,
Καὶ πόντος ποταμῶν μεῖζον' ἔχει δύναμιν·
Φημὶ τοσοῦτον ἐγὼ σοφίᾳ προέχειν Ἐπίχαρμον,
Ὃν πατρὶς ἐστεφάνωσ' ἅδε Συρηκοσίων.

Inde apparet, Epicharmum in insula Co patre Elothale natum fuisse. Quanquam non multo post diem natalem insula illa relicta in Siciliam pervenit, eamque alteram patriam habuit. Ad eundem locum Epicharmi originem transferunt Suidas, qui s. v. Ἐπίχ. haec habet: τίνες δὲ αὐτὸν Κῶον ἀνέγραψαν τῶν μετὰ Κάδμου εἰς Σικελίαν μετοικησάντων, et Eudocia in Villoisoni anecdot. vol. I. p. 193. Quanquam Eudociam ego vix commemorare debebam, ea enim loco, quem modo attuli, Diogenis, altero, qui est Vill. anecd. tom. I. p. 166., Suidae testimonium ad verbum descripsit. Neque sententiae huic repugnant aliorum auctorum testimonia, quibus Epicharmus vel Siculus vel Syracusius dicitur. Etenim ab eo loco, quo quis aliquamdiu aut certe diutissime vixerit, patriam hominis denominari, res est notissima. Quod, si quis forte sit incredulus, Aeschyli exemplo demonstrabo. Namque eum Eleusine esse natum omnes norunt. Attamen is, si Macrobio Satur. V. 19. fides est habenda, Siculus dicebatur, quia annos aliquot vitae suae in Sicilia transegerat. Verba eius, cum minus nota sint, hic apponam. Ita igitur ille: *Itaque et dii Palici in Sicilia coluntur, quos primus omnium Aeschylus tragicus vir, utique Siculus in litteras dedit.* Atqui non esse quenquam arbitror, qui ea de causa Aeschylum in Sicilia natum esse opinetur. Ne igitur acquiescere dubitemus in

narratione illa Diogenis, qui insulam Con Epicharmi locum natalem fuisse tradit. —

Minus autem cum loco illo e Diogene allato congruere videntur ea, quae e Neanthis libro περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν Stephanus Byzantinus s. v. Κράςος nobis conservavit. Verba eius haec sunt: Κράςος πόλις Σικελίας τῶν Σικανῶν. Φίλιςος Σικελικῶν ιγ. ἐκ ταύτης ἦν Ἐπίχαρμος ὁ κωμικὸς καὶ Λαΐς ἡ ἑταίρα, ὡς Νεάνθης ἐν τῷ περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν. E libro autem Neanthis sua forsitan hauserit Suidas s. v. Ἐπίχ. Τιτύρου ἢ Χειμάρου καὶ Σικίδος, Συρακούσιος, ἢ ἐκ πόλεως Κράςου τῶν Σικανῶν, ὃς εὗρε τὴν κωμῳδίαν ἐν Συρακούσαις ἅμα Φόρμῳ. Eadem fideliter ab Eudocia descripta invenies in Villois. anecd. I. p. 166. Namque quod Cluverius Sicil. antiq. lib. II. p. 392. Crastum oppidum in occidentali Siciliae parte fuisse statuit, negari omnino non potest. Obstat enim auctoris gravissimi Philisti testimonium. Verumtamen hanc, quam movi, difficultatem facillime amovere possem, si acquiescerem ingeniosa coniectura, quam de hac re protulit Welkerus in additamentis ad Schwenkii libellum, Mythol. Andeut. p. 331. Is enim opinatur, si verba eius rite assequor, a Suida hirci filium dici Epicharmum, quippe qui petulans comoediae poeta fuerit. Hanc enim significationem esse vocabulis Τίτυρος et Χείμαρος. Neque profecto, si fidem habes scholiastae Theocriti ad idyll. III., negari potest, apud Dorienses certe τίτυρον idem quod τράγον apud ceteros Graecos significasse. Accedit, quod iocosae eiusmodi nominis immutationis exempla alia afferri possunt. Quale est quod Phrynichus, antiquissimus ille tra-

goediae poeta, a Suida s. v. filius Polyphradmonis sive Minyrae sive Choroclis nuncupatur. Unum autem Phrynichum, qui tragoedias scripserit, neque plures fuisse, edocuit Bentley. opusc. p. 294. seqq. Fieri igitur potuit, ut Phrynichus ob querulas suas chori lamentationes filius Minyrae i. e. queruli et Choroclis i. e. carminibus choricis praeclari sit appellatus. Fuisse autem, ita pergit Welkerus l. l. poetae nomini accommodatissimum, quod, qui ab hirco originem duxerit, eundem in oppido cornigero natum esse dixerint. Inde Epicharmi natales a nonnullis Crastum esse translatos; Crastum esse enim idem, quod πόλιν κεράςην, i. e. oppidum cornigerum. Quod quidem viri egregii commentum, licet admodum mihi placere non eam infitias: attamen inde, cum mera ea sit coniectura, argumentum ad rationes meas confirmandas non repetam.

Hic autem ostendere sufficiat, neque Suidae neque Neanthis verba obstare, quominus veram de Epicharmi natalibus sententiam conformemus. Namque et Suidam et Neanthem de eodem illo Epicharmo dicere, cuius vitam a Diogene conscriptam habemus, extra omne dubium est positum. Omnes enim illi spectant ad Epicharmum celebratum illum, qui simul cum Phormide comoediam invenit atque perfecit. Quod qui e verbis Diogenis non patefieri existimaverit: ei infra id copiosius explicabo. De Suida enim et Neanthe non dubitabit. Namque hic, ut Epicharmum accuratius significaret, verba addidit ὁ κωμικός: ille plura etiam haec: ὃς ἐν Συρακούσαις ἅμα Φόρμῳ εὗρε

τὴν κωμῳδίαν. Quomodo autem factum sit, ut Epicharmus Crasto Megara, et inde postea Syracusas pervenerit: de ea re neque Neanthes neque Suidas ne syllabam quidem apposuerunt. Neque video equidem, qua ratione ex Epicharmi origine Crastum transposita ea facile deduci possint, quae aliorum auctorum de poeta illo extant testimonia. Quale est, quod Epicharmus ipse et plurimi, qui ad eius familiam pertinebant, arti medicae operam dedisse videntur. Contra Diogenis verba ad unum omnia cum indiciis quibusdam ex ipsa illorum temporum historia petendis ita componi possunt, ut, quae de insula Co, ubi Epicharmus natus, et de reliqua eius vita narrantur, omnino congruant. Accedit etiam id, quod inde multa ab aliis de Epicharmo dicta affatim illustrari possunt. Quae cum ita sint, quis diutius dubitabit repudiare istud Neanthis indicium prorsus singulare neque cum aliis facile coniungendum? Quaesiverit autem aliquis, unde demum factum sit, ut Neanthes et qui post eum ipsius verba repetivit, Suidas in oppido Crasto Epicharmum esse natum dixerint? De ea re, sive veram eam dixit, sive finxit Neanthes, praeter Welkerianam multifariae insuper coniecturae excogitari possunt: sed cum iusto breviora sint veterum testimonia, ad liquidum ea perduci nequit. Neve mihi aliquis cum Facello aliisque dicat, facillime amotum iri illam difficultatem, cum duos Epicharmos, quorum Crastinus alter, alter Cous, fuisse statueris. Huiusmodi enim sententiae ipsius Suidae atque Neanthis verba repugnant, quae ad unum illum comoediae poetam pertinere iam supra ostendi.

Patrem Epicharmi Elothalem fuisse dicit Diogenes Laert. l. l. Ad fidem autem huic loco faciendam accedit alter ex eodem Diogene in vita Pythagorae lib. VIII. segm. 1., quo refert ex Heraclide, Serapionis filio, Pythagoram conscripsisse libellum, cui titulus: *Ἠλοθάλης, ὁ τοῦ Κῴου Ἐπιχάρμου πατήρ.* Quod quidem sive verum sive fictum ab Heraclide existimas: hoc certe e verbis Diogenis consequi mihi videtur, pro Elothale, Epicharmi patre, Heraclidis quoque sententiam facere. Neque contra sententiam eiusmodi, quippe quae venerit ab auctore graviore multo et antiquiore, multum valent mira illa Suidae verba: *ἢ Τιτύρου ἢ Χειμάρου καὶ Σικίδος.* Profecto enim Heraclidi et Diogeni potius, quippe qui certis verbis unum Epicharmi patrem nominaverint, fidem habebimus, quam Suidae, quem inter plura nomina dubium haesisse ipsa eius verba produnt. Nimirum is, quisnam Epicharmi pater esset habendus, ignoravit aeque ac Iamblichus, cuius haec in vita Pythagorae c. 34. verba habemus: *καὶ Μητρόδωρος τε ὁ Θύρσου τοῦ πατρὸς Ἐπιχάρμου κ. τ. λ.* Quodsi Thyrsum Epicharmi patrem fuisse omnino sibi persuasum habuisset Iamblichus: profecto verba *τοῦ πατρὸς Ἐπιχάρμου* non apposuisset. Neve mihi aliquis Saxii, Harlesii aliorumque sententiam commendet, qui ut auctores de Epicharmi patre discrepantes inter se coniungerent, duos fuisse Epicharmos, alterum Tityri, alterum Elothalis filium, statuerint. Veterum enim scriptores omnes de uno tantummodo Epicharmo dicunt. Atque si ex eo, quod ab aliis auctoribus alius Epicharmi pater commemoratur, duos fuisse Epicharmos conficere

vellem: eodem modo non unum, sed duos olim fuisse philosophos Pythagoras colligere fas esset. Quis enim est, qui nesciat, Pythagorae patrem ab aliis Cratetem, ab aliis Mamarcum, ab aliis denique Mnesarchum dici? Cf. Bentley. opusc. p. 179. seqq. Verumtamen non est repertus quisquam, qui ea de causa unum illum Pythagoram in duos divideret. Habeant igitur alii sibi Tityros illos et Chimaros et Sicidas et Thyrsos: nos Elothalem Epicharmi patrem retinebimus. Atque si Epicharmum in insula Co esse natum comprobavimus, quod fieri debere certis argumentis supra demonstravi: hoc quoque nobis est concedendum, illum Elothalis filium fuisse.

Elothales ille et arte, quam profitebatur, et genere suo vir erat nobilissimus. Quanquam multum profecto abfuit, ut originem suam ab Achille deduceret, quod credere aliquis possit, qui fidem habeat Photii narratiunculae, qui biblioth. p. 474. ex Ptolemaeo Hephaestione refert, filium Epicharmum origine sua ad priscum illum Achillem pertinuisse. Is autem iustius, quum medicus e gente Asclepiadum esset, ad Aesculapium sive Herculem genus suum retulit. Ipsum vero Elothalem artem medicam fuisse professum, disertis quidem verbis veteres non tradunt: id autem necessario consequitur ex eo, quod duo eius filii Metrodorus et alter, cuius nomen non extat, ab illo artis medicae praecepta perceperunt. Ita enim Iamblichus in vita Pythag. c. 34. *καὶ Μητρόδωρός τε ὁ Θύρσου τοῦ πατρὸς Ἐπιχάρμου καὶ τῆς ἐκείνου* (sc. *τοῦ Πυθαγόρου*) *διδασκαλίας τὰ πλείονα πρὸς τὴν ἰατρικὴν μετενέγκας ἐξηγούμενος τοὺς τοῦ πατρὸς λόγους πρὸς*

τὸν ἀδελφόν φησι κ. τ. λ. In quibus verbis ne male nos habeat, Thyrsum loco Elothalis a Iamblicho commemorari, error iste Iamblichi non pertinet ad quaestionem, quae nunc a nobis tractatur. Hoc autem certissima ratione inde confici potest, Metrodorum filium a patre praecepta quaedam vel ex ore eius vel scripta percepisse, eaque postea, mortuo fortasse patre, fratri addiscenda proposuisse. Huc pertinent illa ἐξηγούμενος τοὺς τοῦ πατρὸς λόγους πρὸς τὸν ἀδελφόν. Neque qualia ea fuerint praecepta, dubitare poteris, si verba praecedentia respexeris: τὰ πλείονα πρὸς τὴν ἰατρικὴν μετενέγκας. Namque sermo est de praeceptis philosophiae Pythagoricae, quae plurima ad artem suam medicam transtulerit Metrodorus. Quod autem eandem, cui pater se addixerat, artem uterque filius quoque arripuit: id ex consuetudine eorum explicari debet, qui e gente Asclepiadum essent. Namque Elothalem Asclepiaden fuisse vero est simillimum. Ea autem aetate, qua floruit iste, idque fuisse circa Ol. LX. infra ostendam, in insula Co aliisque locis omnis medendi scientia penes sacerdotes erat, qui ab Aesculapio originem suam ducentes se Asclepiadas dicebant. Erat igitur ars medica arcanum quoddam et ordini illorum quasi proprium, quod non initiatis proponere nefas habebatur. Cf. Sprengelii histor. art. med. tom. I. p. 349. seqq. Quodsi cum Elothale mysteria sua communicarunt illi: eum quoque familiae isti sacerdotali adnumerandum esse sequitur.

Illa autem aetate, cui Epicharmi natales incidunt, i. e. aliquot annis ante bellorum Persicorum initia Asclepiadae ordinis sui rationes ita immuta-

runt, ut arcana artis suae non eadem, qua antea, anxietate inter initiatos conservarent, sed etiam cum profanis ea et ipsis adeo hominibus peregrinis communicare inciperent. Erant etiam inter eos nonnulli, qui insula Co relicta in alias terras, uti Italiam, Siciliam, Asiam pergerent, ibique artem medicam et exercerent et divulgarent. Itaque Elothales quoque ex insula patria emigravit et in Siciliam profectus est. Unde aliquamdiu eum in Magnam Graeciam secessisse vero est simillimum. Quod quidem licet disertis veterum verbis demonstrari nequeat: attamen quaedam eorum indicia multum ad fidem sententiae meae faciendam conferre ostendam. Audi enim Laertium l. l. *Επίχαρμος, Ἠλοθάλους. τριμηνιαῖος δ' ὑπάρχων ἀπηνέχθη τῆς Σικελίας εἰς Μέγαρα.* Quid quaeso certius ex verbis hisce confici potest, quam Epicharmum trimestrem ab ipso patre in Siciliam fuisse deductum? Quo autem tempore in Siciliam advenerunt illi: eo maxime florebat in adiacente magna Graecia schola Pythagoreorum. Cf. Diog. Laert. lib. VII. segm. 1. Bentley. opusc. phil. p. 176. Uti igitur Elothali nostro perquam erat accommodatum accedere ad philosophum illum, qui maxima subtilitate naturae mysteria indagavit: ita profecto ipse Pythagoras maxime adiuvari poterat medico, qui, ut ita dicam, ex ipso Aesculapii sacrario advenisset. Novimus enim, Pythagoram non solum rebus philosophicis operam dedisse: verum descendisse etiam ad ea investiganda, quae magis ad artem medicam spectarent. Addidit igitur doctrinae suae partem aliquam, quae in meris artis medicae praeceptis inprimis diaeteticis erat posita. Cf. Diog.

Laert. VIII. 1. Aelian. V. H. IX. c. 22. Jambl. in vita Pythag. c. 29. Quae cum ita sint, habemus, unde, quem supra e Diog. Laertio locum apposui, explicemus. Nimirum quod dicit ille ad Heraclidem provocans, scripsisse Pythagoram libellum, cui titulus: Ἠλοθάλης τοῦ Κῴου Ἐπιχάρμου πατήρ, id ego in medio positum relinquam: quandoquidem ipse Diogenes lib. VIII. segm. 2. ab aequalibus suis fuisse dubitatum confitetur, utrum Pythagoras quidquam literis mandasset. Sed aliquod tamen veri fundamentum rei subesse debet: alioquin indicium istud ab Heraclide fingi non potuisset. Namque Elothalem medicum inter et philosophum Pythagoram re vera familiaritas quaedam intercessit, qua factum est, ut hic doctrinae incrementum quoddam perciperet, ille artem suam magnopere illustraret. Quod si verum esse mecum statueris: non diutius dubitabis, unde tandem venerit, ut extet in Diogenis loco laudato narratiuncula illa sive ab Heraclide sive ab alio quopiam ficta, Pythagoram scripsisse libellum, quo vel ita Elothalis enarrata, vel praecepta eius medica essent proposita. Mors autem Elothalis, nam quae alia insuper ei per vitam contigerint, prorsus nescimus, mors eius, inquam, ponenda est annum, quo in Siciliam advenit, inter et Pythagorae mortem, i. e. Ol. LX. et Ol. LXVIII. Cf. Bentley. opusc. p. 176. Nam certe ante Pythagoram mortuus est Elothales: alioquin non facile quisquam extitisset, qui Pythagoram de Elothale libellum conscripsisse fingeret.

Epicharmus quoque patris et fratrum exempla sequutus arti medicae operam dare incoepit. At-

que id ni a viro ad Asclepiadum genus pertinente exspectares: indiciis nunc addendis omne extra dubium poneretur. Namque apud ipsos veteres, Epicharmum fuisse medicum, communis omnium erat opinio. Hinc Plinius histor. nat. lib. XX. c. 9. *Epicharmus inter medicos refertur.* Neque artem suam exercere tantummodo Epicharmo satis erat: verum etiam scripta aliquot de rebus medicis divulgasse videtur. Qua quidem re cives eius atque aequales eo magis iuvari debebant: quo minus ad id tempus usque artis saluberrimae praecepta ad profanorum hominum aures pervenerant. Extabant igitur scripta eius sive, quo eos nomine vocat Diogenes, commentarii, quibus remedia in animalium atque hominum morbos proponerentur. Quales haud dubie Plinius hist. nat. XX. c. 34. his verbis significavit: *Epicharmus testium et genitalium malis hanc utilissime imponi asserit.* Idem vero lib. XX. c. 36. *Epicharmus satis esse eam dicit contra canis rabiosi morsum imponi.* De pecudum autem medicinis ab Epicharmo commendatis ita Columella de re rustica VII. 3., 6. *Epicharmus autem Syracusanus, qui pecudum medicinas diligentissime conscripsit, affirmat, pugnacem arietem mitigari terebra secundum auriculas foratis cornibus, qua curvantur in flexu.* In aliis autem quaestiones de rebus naturalibus continebantur. Inde Columella de re rust. lib. I. 1., 8. *Magna quoque Graecorum turba est de rebus rusticis praecipiens. Siculi quoque non mediocri cura illud negotium sunt prosecuti. Hiero et Epicharmus, Philemetor et Attalus etc.* Sed rem omnem conficit Laertius in vita saepius iam allata: οὗτος ὑπομνήματα καταλέλοιπεν,

ἐν οἷς φυσιολογεῖ, γνωμολογεῖ, ἰατρολογεῖ. καὶ παραστιχίδια τοῖς πλείστοις τῶν ὑπομνημάτων πεποίηκεν, οἷς διασαφεῖ, ὅτι αὐτοῦ ἐστι τὰ συγγράμματα. Quibus in verbis vix opus est, ut moneam ὑπομνήμασιν, οἷς φυσιολογεῖ significari commentarios Epicharmi de rebus naturalibus, quorum exemplum modo e Columella attuli, ἰατρολογεῖν autem ad varia eius de rebus medicis scripta spectare. Nam de tertio aliquo commentariorum genere, quo γνωμολογεῖ pertinere videtur, infra sententiam meam proferam.

Sed unum hoc insuper vides, verba Diogenis ita esse comparata, ut scripta eiusmodi Epicharmea ad tempus suum usque conservata Diogenem ipsum inspexisse arbitreris. Rem enim commemorat prorsus singularem, et qualem commemorare omnino non potuisset, ni libri isti Epicharmi tum temporis fuissent superstites. Namque ait Epicharmum in plurimis suis commentariis παραστιχίδια posuisse, quibus illos a se conscriptos esse indicaret. Parastichides autem, sive quales a nonnullis scriptoribus dicuntur, acrostichides aut aliquot versiculis constabant, quorum litteris initialibus nomen auctoris continebantur: aut positae erant in titulis sive indicibus, qui ad diversas libelli partes pertinebant, ita ut, singuli singulas ex auctoris nomine vel cognomine litteras haberent. Huic quidem generi adnumerabis acrostichon illud, de quo loquitur Sueton. grammat. c. 6.: alteri autem illa, quae commemorant Diog. Laert. V. 93. Dionys. Halicarn. ant. Rom. IV. 62. Cicero de divin. II. 54. Gellius n. a. XIV. 6. Utrolibet igitur modo comparata fuerunt Epicharmi ista παραστιχίδια:

signum id erat omnino minutum, neque commemorari poterat, nisi ab eo, qui scripta illa Epicharmea adhuc integra videret. Nisi quis dicere vellet, Diogenem nostrum huius rei non quidem testem fuisse oculatum, sed eam ut et multa alia ex aliis auctoribus desumtam enarrasse. At ipsa Eudocia p. 193. in Villoisonii anecd. vol. I., licet alias verba Suidae et Diogenis fideliter describat, hic verbis parumper immutatis ipsa sua profert: φέρεται αὐτοῦ συγγράμματα φυσικὰ, γνωμολογικὰ καὶ πολλὰ ἰατρικά. Sed quomodocunque se res ista obscura habet: haec Epicharmi scripta diutius, quam eius comoediae conservata esse videntur: neque prorsus fortasse est vituperandus Tiraquella, qui refert, c. 31. de nobilitate nr. 261., Epicharmi commentarios de natura rerum et medicina extare adhuc in bibliotheca Vaticana.

De commentariis hisce, cum neque integri ipsi, neque certa eorum fragmenta supersint, accurate indicari nequit. Certissimum est autem, fuisse eos sermone Dorico conscriptos. Vixit enim Epicharmus inter Dorienses, sive quae verba sunt Theocriti in epigr. XV., vir erat Doriensis, qui et ad comoedias suas sermonem Doriensium adhibere non dubitaverit. Sed, quod maxime hac in re est considerandum, sermonem Doricum illi, qui Pythagorae se addixerant, omnium praestantissimum esse iudicabant. Quod cum multis veterum indiciis patefieri possit: tum Iamblichi maxime testimonio confirmatur. Is enim in vita Pythag. c. 36. ita disserit: Μητρόδωρος πρὸς τὸν ἀδελφόν φησι, τὸν Ἐπίχαρμον καὶ πρὸ τούτου τὸν Πυθαγόραν τῶν διαλεκτῶν ἀρίστην λαμβάνειν τὴν Δωρίδα. Cf. Scheffer. de philos.

Italiae. p. 133—135. Namque Epicharmi de re medica commentarios respexit Metrodorus iste, quippe quem de scriptis medicis, quae fratri explicuerit, sermocinari illo loco Iamblichus testatur.

Hoc insuper aliquis ex me quaesiverit, utrum oratione prosaria conscripti, an metro inclusi commentarii isti fuerint. Atque ex eo, quod commentariis istis acrosticha apposita erant, vix quidquam confici potest. Aut enim acrosticha illa, quod iam supra significavi, continebantur commentariorum titulis: aut inerant parvis carminibus, quae ipsis commentariis vel anteposita vel inserta erant. Neque quae me ipsum aliquamdiu tenuit sententia, commentariis istis non singulares quosdam libellos, sed sententias comoediis Epicharmeis insertas significari, ullo modo concedi potest. Ea enim si vera esset, Epicharmum *diligentissime pecudum medicinas conscripsisse et de rebus rusticis praecepisse* Columella dicere non potuisset. Habebat igitur Columella peculiares quosdam Epicharmi de re medica et rustica libros, a comoediis omnino diversos. Quos, cum Diogenes ὑπομνήματα, Eudocia συγγράμματα dixerint: sermone prosario fuisse conscriptos vero est simillimum. Si enim hisce Epicharmi commentariis poema aliquod didacticum, quod dicunt, esset intelligendum: vocabulo alio omnino eos Eudocia et Diogenes designassent. Neve hoc mihi aliquis obiiciat, Epicharmi aetate orationem prosariam minus fuisse usitatam atque excultam. Eam enim ad hoc ipsum scriptorum genus iam tum temporis fuisse adhibitam, exemplo uno doceri potest Pherecydis Syri, Pythagorae praecep-

toris, quem primum de rerum natura sermone prosario disputasse omnes concedunt.

Sed ut gravior, quae hoc loco moveri possit, dubitatio a nobis dissolvatur: videndum est, unde tandem factum sit, ut Diogenes Laert. in vita Epicharmi studia philosophica eiusque de re medica libellos commemorarit, idem tamen de comoediis eius ne syllabam quidem addiderit. Qualem mihi quaestionem maxime ab illis obmoveri arbitror, qui e silentio isto Diogenis argumentum petunt, quo philosophum Coum ab Epicharmo poeta Syracusio discernendum esse ostendant. Cf. Fabric. bibl. Gr. ed. Harl. tom. I. p. 298. sqq. Res igitur ita se habet. Nimirum Diogenes cum decem illis, quos eius superstites habemus, libris philosophorum non poetarum vitas describeret: octavo libro eorum, qui ad Pythagoreorum scholam pertinerent, res enarrare sibi habebat propositum. Quibus cum Epicharmum quoque adnumerandum esse censeret: de studiis et scriptis eius philosophicis pauca quaedam significavit, neque de comoediis eius, quippe quae omnibus hominibus innotuissent, hoc quidem loco disputare debuit. Attulit igitur nulla prorsus comoediarum mentione facta commentarios eius medicos et gnomologicos et physiologicos, quippe qui libros illos e studiis Epicharmi philosophicis promanasse existimaret. Neque male id fecit; quis enim est, qui nesciat, philosophiam inter et artem medicam iam tum nexum quendam intercessisse? Quod autem alio loco libro V. in vita Platonis idem Diogenes Epicharmum κωμῳδοποιὸν appellavit: ne id quidem contra sententiam meam facit. Namque narrat ibi Diogenes ex Alcimi testimonio, Platonem

nonnullas sententias ex Epicharmi libris desumtas in doctrinam suam transtulisse. Cum autem omnes illae sententiae ex Epicharmi comoediis essent repetitae: quid quaeso rei convenientius, quam auctorem earum dicere poetam comicum? Nam id praeteribo, neque in partes meas convertam, quod Epicharmus, cum poetae comici nomine esset notissimus, a plerisque veterum scriptoribus ὁ κωμικὸς dicebatur.

Restat denique, ut quibus unum tantummodo Epicharmum a veterum scriptoribus designari omnino evincam, argumenta duo hucusque servata proferam. Primum enim Diogenes sub finem vitae laudatae, philosophum Epicharmum annos nonaginta vixisse refert. βιοὺς δὲ ἐνενήκοντα ἔτη κατέστρεψε τοῦ ζῆν. Eadem verba apud Eudociam p. 193. invenies. Sed ecce, Lucianus in Macrobiis sub finem, ubi Epicharmum annum vitae suae nonagesimum septimum assecutum esse tradidit, simul apposuit verba ὁ κωμικὸς ποιητής. Unus igitur idemque est comoediarum poeta Epicharmus, cuius aetatem designavit Lucianus, et philosophus ille atque medicus, de quo Diogenes et Eudocia verba fecerunt. Nam exiguum illud annorum discrimen, quod Luciani et Diogenis testimonia interest, male te non habebit. Hic enim, quod veteres in narrandis rebus saepe negligentiores non raro fecisse docuit Manut. ad Cicer. Cat. p. 441., integrum annorum numerum posuit: alter vero, quippe qui longaevorum hominum annos in libello isto describere studeret, numerum maiori cura definivit.

Accedit alterum, quod iam ante me ad eandem sententiam demonstrandam adhibuit Columna ad

fragm. Ennii p. 170. Namque extat inter versiculos Epicharmeos unus, quem et veteres et recentiores sexcenties laudarunt. Is est autem: *νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει· τἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά.* Hunc Tertullianus quoque in libro de animo c. VIII. tom. II. p. 806. ed. Paris. ob oculos habuit. Nimirum, cum Platonem animo vim sentiendi tribuisse contendisset, haec verba addidit: *meminerat scilicet et Epicharmi comici: animus cernit, animus audit etc.* Eandem vero Epicharmi sententiam attulit et Theodoretus in sermone suo I. de fide p. 478. ed. Paris. *κατὰ γὰρ δὴ τὸν Ἐπίχαρμον, τὸν Πυθαγόρειον. νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει κ. τ. λ.* Vides, quem poetam comicum dixit Tertullianus, eum ipsum philosophum Pythagoricum dici a Theodoreto. Cf. Plutarch. vit. Num. c. 9. Nil igitur est certius, quam quae de poeta comico et de philosopho Epicharmo veteres attulere indicia, ad unum eundemque virum pertinere.

Iam autem satis liquet ex omnibus illis, quae modo disputavi, Epicharmum ad studia philosophiae aliquamdiu operam suam contulisse. Neque, qui reliquias eius in transcursu tantum consideraverit, idem non suspicabitur. Et Pythagorae quidem eum auditorem fuisse constat. Quod iam ex eo aliquis coniicere possit, quod pater Epicharmi Elothales intimam Pythagorae amicitiam sibi conciliaverat, et fratres Epicharmi praecepta Pythagorica ad artem suam medicam transtulerant. Cf. Diog. Laert. lib. VIII. segm. 1. Jambl. in vita Pythag. c. 34. Sed in hac re coniecturis minime est opus: certissima enim suppeditant veterum testimonia. Itaque ad Plutarchum imprimis provoco,

Epicharmum auctorem vetustissimum, quique
igoricae disciplinae se dedisset, fuisse iudicavit.
a eius extant in vita Numae c. 9. Ἐπίχαρμος,
ικὸς, παλαιὸς ἀνὴρ καὶ τῆς Πυθαγορικῆς
ιβῆς μετεσχηκώς. Neve mihi dicat aliquis vo-
um πυθαγορικῆς ambiguitate non carere, quippe
ad Pythagoreorum aeque atque ipsius Pytha-
lectiones referri queat. Nam ex ipso Pytha-
Epicharmum philosophiam percepisse disertis
s tradidit Diog. Laert. in vita Epich. καὶ
ἤκουσε Πυθαγόρου. Cf. Eudocia p. 193. Clem.
ndr. strom. V. p. 255. Photii biblioth. p. 371.
loesch. Itaque apud Diogenem Epicharmus
distinguitur ab illis, qui non ab ipso Pytha-
edocti doctrinam eius profitebantur quique a
ne atque ab aliis οἱ Πυθαγορικοὶ dicebantur.
s erant Archytas, Hippasus, Alemaeon, alii.
iog. Laert. lib. VIII. segm. 4., 5., 6., seqq.
erum quatenus ad ipsos Pythagorae auditores
armus pertineret, id paulo accuratius enar-
Jamblichus. Ita enim ille in vita Pythag. c. 36
ἔξωθεν ἀκροατῶν γενέθαι καὶ Ἐπίχαρμον.
ὐκ ἐκ τοῦ συςήματος τῶν ἀνδρῶν. Constat
e Jamblicho aliisque, auditores Pythagorae
as partes divisos fuisse. Atque ad partem
m et nobiliorem referebantur illi, qui non
a perpetua magistri consuetudine fruerentur,
etiam doctrinam eius ἐντὸς τοῦ σινδόνος i. e.
ro omnia arcana affatim dilucidante perci-
. Hi sunt, quos Jamblichus τὸ σύςημα τῶν
l. l., alio autem loco, c. 22. τοὺς ἐσωτηρικούς;
Verum illi, qui ad Pythagorae disciplinam
re cupiebant, non statim ad prius illud au-

ditorum genus recipiebantur. Hos enim Pythagoras repetita vice ad examina vocabat, ut, quale eorum esset ingenium, cognosceret. Quodsi eorum aliquis indole satis spectata Pythagorae placuisset: is quidem per trinos annos omnino negligebatur, sed quarto incipiente ad scholas Pythagorae primum admittebatur. Ita autem audiebat, ut per quinquennium silentio teneretur, et magistri doctrinam ἐκτὸς τοῦ σινδόνος i. e. mysteriis non perspicue expositis cognosceret. Vides igitur, hos esse illos, qui alteram discipulorum partem efficiebant, quique a Jamblicho οἱ ἐκτὸς ἀκροαταὶ dicebantur. Cf. Jambl. c. 17. Quod autem Epicharmum ad externos illos discipulos pertinuisse refert Jamblichus: id omnino cum temporum rationibus, quales in natalibus Epicharmi definiendis confeci, congruere videtur. Etenim si natales eius, quod infra accuratius comprobabo, sub Ol. LX. inciderunt: ante Ol. LXVI. Epicharmus ad Pythagorae disciplinam accedere non poterat. Itaque quum octo illos tentaminum annos sustinuisset: advenit Ol. LXVIII., quae et morte Pythagorae et misera totius ordinis clade est insignis.

Epicharmus autem, licet ei improvisa Pythagoreorum clade non contigisset, ut ad ἐσωτηρικοὺς illos Pythagorae auditores admitteretur: attamen sublimia magistri praecepta penitus intellexit. Id enim omnino sequitur e testimonio Iamblichi, qui Epicharmum Pythagorae praecepta comoediis inserta divulgasse ait. Ita enim ille in vita Pythag. c. 36. Ἐπίχαρμον ἀφικόμενον εἰς Συρακούσας διὰ τὴν Ἱέρωνος τυραννίδα τοῦ μὲν φανερῶς φιλοσοφεῖν ἀποσχέσθαι, εἰς μέτρον ἐνεῖναι τῆς διανοίας τῶν ἀνδρῶν

μετὰ παιδίας κρύφα ἐκφέροντα τὰ Πυθαγόρου δόγματα. Neque effata eius nonnulla de rebus divinis atque humanis, qualia etiamnum paucula inter reliquias eius supersunt, sapientiam Pythogoream non spirant. Sunt adeo inter eas ratiocinationes ita subtiliter disputatae, ut sermonem dialecticum potius, quam comoediam decerent. Quarum amplum et memorabile exemplum ex Ulysse navifrago attulit Diog. Laert. in vita Plat. lib. III. segm. 9. Quanquam praecepta ita subtiliter enuntiata, cum spectatorum animis fere impervia essent, passim et nonnullis tantum comoediis immixta fuisse opinor. Aliud atque haud dubie magis ab Epicharmo frequentatum id genus sententiarum est, quae, cum ad hominum mores, fortunas, leges pertinerent, ad vulgus spectatorum docendum facilius adhiberi, et fabulis ipsis idonea ratione immisceri poterant. Inde factum est, ut qui de hominum vita, moribus, officiis sententiam vel proverbium effari cuperent, versiculum aliquem ex Epicharmo depromerent; neque inter philosophos facile sit repertus quisquam, qui sententias illas ignoraret. Audi modo Jambl. in vita Pyth. c. 29. *οἵ τε γνωμολογῆσαί τι τῶν κατὰ τὸν βίον βουλόμενοι τὰς Ἐπιχάρμου διανοίας προφέρονται. καὶ σχεδὸν πάντες αὐτὰς οἱ φιλόσοφοι κατέχουσιν.* Quinimo Platoni decreta eius ita arriserunt, ut is nonnulla in sua transferre non dubitaret. Id disertis verbis testatur Diog. Laert. in vita Platonis lib. III. segm. 9. ad Alcimum quendam provocans, qui 4 libris de Epicharmo ad Amyntam scripserat. Sunt autem verba eius haecce: *πολλὰ δὲ καὶ παῤ Ἐπιχάρμου τοῦ κωμῳδοποιοῦ προςωφέληται, τὰ πλεῖςα μεταγρα-*

φας, καθά φησιν Ἄλκιμος ἐν τοῖς πρὸς Ἀμύνταν, ἅ ἐςι τέτταρα. ἔνθα καὶ ἐν τῷ πρώτῳ φησὶ ταῦτα· φαίνεται δὲ καὶ Πλάτων πολλὰ τῶν Ἐπιχάρμου λέγων κ. τ. λ. Eadem verba repetita invenies apud anonym. in vita Plat. III. et Hesychium Miles. de viris erud. claris s. v. πολλὰ προςωφέληται. Neque iudicium istud Alcimi facile in dubium vocaveris; verum est enim et re ipsa comprobatur. Namque Alcimus l. l. exempli causa comparationem instituit inter doctrinam Platonis de rebus sensui subiectis, et inter Epicharmi versus aliquot, quibus eadem fere de his rebus sententia continetur. In qua re Platonem non miraberis, quippe quem e doctrina Pythagoreorum in universum multa petivisse iam ab aliis est patefactum. Cf. Bruckeri hist. phil. tom. I. p. 1221. Boekhii Philolaus. p. 40 et seqq.

Neque profecto, quos Alcimus l. l. Epicharmi versiculos attulit, unici erant, quorum argumentum in doctrinam suam Plato transtulerat. Namque Alcimus quatuor istos ad Amyntam libros eo consilio conscripsisse videtur, ut quas Epicharmi sententias Plato aliique philosophi in sua convertissent, exemplis demonstraret. Huc certe spectant verba illa: *φαίνεται δὲ καὶ Πλάτων πολλὰ τῶν Ἐπιχάρμου λέγων.* Sed exempla illa et comparationes, quibus Alcimi libri isti referti erant, ad Platonem maxime pertinebant, quippe qui prae aliis multa ex Epicharmo desumsisset. Quod ut suspicemur, Diogenes Laert. efficit, qui l. l. ita pergit. *καὶ ταῦτα μὲν καὶ τὰ τοιαῦτα διὰ τῶν τεσσάρων βιβλίων παραπήγνυσιν ὁ Ἄλκιμος, παρασημαίνων τὴν ἐξ Ἐπιχάρμου Πλάτωνι περιγενομένην ὠφέλειαν.* Cf. Tiedemanni liber: Griechenlands erste Philos. p. 250.

Quae cum ita sint, habemus, unde Platonis ipsius de Epicharmo iudicium explicare et ponderare possimus. Namque id ipsum, quod Epicharmus tantopere philosophum saperet, id ipsum, inquam, Platoni maxime arrisit atque effecit, ut Epicharmum Aristophani anteponeret, et principem veterum comicorum praedicaret.

Quod autem supra, cum Jamblichi testimonium afferrem, significavi, sententias philosophicas Epicharmi non peculiari libello contentas, sed per comoedias eius passim dispersas fuisse: id omnium opinioni e diametro repugnat. Plerique enim statuunt, Epicharmum praecepta sua philosophica publice esse professum, et scriptum quoddam περὶ φύσεως posteris reliquisse. Neutrum idoneo antiquitatis testimonio demonstrabis. Sed cur ego in aliam omnino sententiam abierim, complures a me causae proferri possunt. Atque prae omnibus aliis hoc loco considerari debent ipsa illa Epicharmi fragmenta, quorum argumentum est philosophicum, quaeque plurima reperiuntur apud Diogenem, Stobaeum, Plutarchum, Clementem Alex., alios. Eorum enim ne unum quidem neque hexametro, quem numerum veteres ad carmina sua didascalica adhibere solebant, inclusum neque oratione prosaria, qua iam Pythagorei uti inceperunt, conscriptum reperio. Verum in omnibus fere, paucis exceptis, numerum illum, quem veteres orchesticum et comoediae proprium dicebant, tetrametrum trochaicum catalecticum deprehendes. At dicere aliquis possit, nil obstare, quominus numero illo carmen didascalicum a poeta antiquo conscriptum esse admittamus. Fieri igitur potuisse, ut id ipse Epichar-

mus fecerit, atque fragmenta modo laudata ad libellum eius philosophicum quendam pertinuisse. Sed hoc unum accedit, ut maximum fragmentum, quod Diog. Laert. III. 9. conservavit, e comoedia aliqua Epicharmea sit desumtum. Id est enim diverbium duorum hominum in scaena colloquentium, quorum alter praecepta philosophica proponit atque interpretatur, alter et discendi causa ad quaestiunculas magistri respondet et repugnandi causa sententias eius in controversiam vocat. Qui posterioris personae partes sustinet, Eumaeus dicitur: eo enim nomine ab altero appellatur. Iam inter comoedias Epicharmeas una erat, cui titulus Ὀδυσσεὺς ναυαγός. Cf. Athen. lib. XIV. p. 619. 6. Partem igitur huius comoediae aliquam ita comparatam fuisse suspicor, ut Ulysses navi fracta in insulam patriam reiectus cum subulco Eumaeo prodeat, quocum de rebus philosophicis sermocinetur. Quodsi de fragmento illo, quod sententiis subtilibus omnino refertum est, vere suspicatus sum: idem de ceteris reliquiis, quibus philosophicum aliquid inest, statui debet.

Alcimi quoque, et qui ad eum provocavit, Diogenis Laertii testimonia, Platonem nonnulla ex Epicharmo desumsisse, ita sunt comparata, ut Epicharmi comoedias, neque vero scriptum aliquod philosophicum ab iis significari arbitrer. Verba enim πολλὰ δὲ καὶ παρ' Ἐπιχάρμου τοῦ κωμῳδοποιοῦ omnino efficiunt, ut Platonem ex ipsis Epicharmi comoediis sententias nonnullas surripuisse opinemur. Quod autem Alcimus verba Πλάτων πολλὰ τοῦ Ἐπιχάρμου λέγων addidit: manifestum est, illa πολλὰ τοῦ Ἐπιχάρμου ad ea tantum, quae pro

exemplis Alcimus attulit, referri posse. Haec autem exempla tria sunt fragmenta, quorum versiculi omnes e comoedia erant repetiti.

Aliud insuper argumentum repetere possim e iudicio, quod Photiuis protulit de fontibus, e quibus Stobaeus sententias suas desumserit. Is enim bibl. p. 371. Epicharmum philosophis adnumerat, quorum sententias in florilegium suum Stobaeus receperit: altero loco, qui est p. 374., poetis cum interposuit, quorum versiculos Stobaeus sibi selegerit. Sed reliquiis Epicharmeis, quae apud Stobaeum reperiuntur, si unam eamque incertam excipis, omnibus eadem est indoles, idem numerus, trochaïcus tetrameter. Quid inde sequitur? Epicharmum non ob scriptum aliquod philosophicum, sed propter sententias comoediis insertas a veteribus philosophum esse appellatum.

Sed ulterius paulo progredior, et Epicharmum, licet voluisset praecepta Pythagorae litteris consignare, vix potuisse contendo. Quis enim est, qui nesciat, omnibus iis, qui se disciplinae Pythagoreorum addixissent, legem fuisse iniunctam, qua praecepta Pythagorae divulgare prohiberentur? Cf. Galei. opusc. mythol. p. 736. sqq. Jamblich. vita Pyth. 17., 75. Clem. Alex. strom. V. p. 574. Boekh. Philol. p. 18. sqq. Sic nomini Philolai per omnem antiquitatem infamia quaedam erat inusta, quod primus et quidem paupertate coactus, scripta quaedam Pythagorica divulgaverat. Cf. Diog. Laert. VIII. 15. Iambl. in vita Pythag. c. 31. p. 172. Quin imo Lysis et Archippus, qui eodem modo praecepta Pythagorae cum profanis communicaverant, a Porphyrio in vita Pythag. p. 40. eo excusantur, ut

id ab illis hoc consilio esse factum dicat, ne monumenta sapientiae Pythagoricae inter homines prorsus perirent. Tempore igitur Epicharmi lex ista summa adhuc religione servabatur, et postea demum, cum omnia vincula, quibus societas Pythagoreorum continebatur, soluta essent: lex illa quoque est abolita, neque reliquias, quae sapientiae Pythagoricae superessent, divulgare amplius est dubitatum. Quid igitur fecit Epicharmus? Perceperat ille quaedam e philosophia Pythagorae, quae coram aliis, quam Pythagoreis pronuntiare non liceret: verum idem dulcia haec arcana pectore inclusa tenere noluit. Quapropter, ne in legem offenderet, neque scriptum philosophicum emisit, neque publice de decretis Pythagorae disseruit: sed ut triste silentium rumperet, fraudem aliquam excogitavit. Namque in comoediis suis personas saepe ita colloqui fecit, ut sententias Pythagoricas et in universum sublimia vitae praecepta immisceret. Id enim est, quod Jambl. vit. Pyth. c. 36. eum *μετὰ παιδίας κρύφα ἐκφέροντα τὰ Πυθαγόρου δόγματα* iudicavit. Cf. Wyttenb. opusc. tom. II. p. 537. Mohnike. hist. litt. gr. I. p. 288.

Sententiarum autem philosophicarum plurimis Epicharmi comoediis plus minusve insertum fuisse opinor. Eo enim referendum est iudicium anonymi apud Aristoph. Kusteri p. XII., qui cum alia quaedam ad proprietatem Epicharmeae comoediae designandam protulisset: eum quoque ad sententias comoediis inserendas proclivem fuisse his verbis indicavit: *ἐν τῇ ποιήσει γνωμικὸς ἦν κ. τ. λ.* Hae igitur sunt sententiae illae, quas omnes fere philosophos memoria tenuisse Iambl. vit. Pyth. c. 26.

confirmat. Verum utrum Jamblichi aetate Epicharmeae comoediae ita etiam fuerint divulgatae, ut praeter homines litteratos et lixicographos ab aliis omnibus legerentur: id hoc quidem loco in medium positum relinquam. Sed quod teste Jamblicho sententiae illae philosophicae tantopere erant divulgatae: id ipsum ad aliam quandam coniecturam me perduxit. Namque fieri potuit, ut paulo post Epicharmi tempora sententias eius philosophicas excerptas in compendium gnomologicum redigerent, quo facilior fieret earum conspectus atque divulgatio. In qua re non prorsus deficiunt exempla, quibus florilegia eiusmodi e sententiis Epicharmeis a veteribus esse confecta patefiat. Itaque ad coniecturam nostram confirmandam magnopere adiuvamur iis, quae de Alcimo protulit Diogenes Laertius l. l. Namque liber iste Alcimi, quod iam supra significavi, ita erat institutum, ut sententiae Epicharmeae, quibus singulis sententiae similes Platonis aliorumque philosophorum erant appositae, florilegium quoddam efficerent. Iam quis est, qui diiudicare audeat, utrum illi, qui sententias philosophicas Epicharmi nobis conservarunt, uti Plutarchus, Clemens Alex. Stobaeus, alii aeque ac Diogenes libellum Alcimi aut simile quoddam florilegium inspexerint, an ex ipsis Epicharmi comoediis versiculos desumserint. Attamen non unum fuisse Alcimum, qui talia conficeret, extra omne dubium est positum. Id enim ut suspicer, efficit indicium quoddam Suidae licet paulo obscurius. Namque verba eius s. v. Ἐπίχαρμος sub finem haec sunt: λόγος Ἐπιχάρμειος, ὁ τοῦ Ἐπιχάρμου. Quodsi vocabulum λόγος sive sermonem sive doctrinam esse in-

terpretaris: eo non singularis Epicharmi libellus de re certa conscriptus denotatur, sed potius complurium Epicharmi dictorum collectio significatur. —

At, qui aliter sentiunt, Ennium poetam latinum, qui carmen aliquod e genere didascalico conscripsit, mihi obtrudunt. Is enim in carmine illo doctrinam de rerum natura e sententia Pythagoreorum adumbravit, eique titulum *Epicharmus* praefixit. Iam sic concludunt. Tenuit igitur Ennius carmen Graecum περὶ φύσεως ab Epicharmo compositum, quod ut tam multa alia Graecorum poemata, in linguam vernaculam transtulit. Atque quod libri titulum attinet, eum, aiunt illi, ad exemplum Platonis ab Ennio esse conformatum. Namque Platonem dialogum illum, quo mundi atque rerum naturalium originem enarravit, Timaeum inscripsisse, propterea quod argumentum dialogi maxime e Timaei scriptis desumsisset. Cf. Ennii fragm. ed. Columna. p. 170. seqq. ibique interpp. Quod volunt, consequi nego. Velim insuper, paucula illa fragmenta accuratius consideraverint. Primo enim versus illi Enniani maximam partem metro trochaïco sunt inclusi, quod, ut carminibus scaenicis maxime est accommodatum, ita a poemate didascalici generis est omnino alienum. Sed, quo res omnino conficitur, sorte felici contigit, ut supersint adhuc versiculi aliquot Epicharmi, unde suos transtulit Ennius. Namque in comoedia Ὀδυσσεὺς ναυαγὸς, quam supra indicavi, in scaenam prodiit Ulysses sic colloquens cum subulco Eumaeo:

Εὔμαιε, τὸ σοφόν ἐςιν οὐ καθ' ἓν μόνον.
Ἀλλ' ὅσσα περ ζῇ, πάντα καὶ γνώμαν ἔχει.
Καὶ γὰρ τὸ θῆλυ τῶν ἀλεκτορίδων γένος,
Αἰ λῇς καταμαθεῖν ἀτενὲς, οὐ τίκτει τέκνα
Ζῶντ' ἀλλ' ἐπωάζει καὶ ποιεῖ ψυχὴν ἔχειν.
Τὸ δὲ σοφὸν ἁ φύσις τόδ' οἶδεν ὡς ἔχει
Μόνα· πεπαίδευται γὰρ αὖ ταύτας ὕπο.

Iam considera mihi fragm. 20. carminis Enniani, quod ita se habet:

Ova parire solet genu pennis condecoratum
Non animas . . . .
Inde venit divinitu pullis insinuans se
Ipsa anima . . . . .

Versus utriusque poetae, si plane sibi non respondent: at in eadem Pythagorae sententia explicanda versantur. Nimirum numen divinum per omnem naturam esse diffusum, eiusque sapientiae animalia etiam uti gallinas esse participes. Nonne igitur in aperto est, Ennium hanc carminis sui particulam e comoedia Epicharmea desumsisse? Quod autem de hoc uno loco valet, de toto illo carmine valebit, quamdiu adversariorum sententia disertis veterum testimoniis non fuerit confirmata. Hinc sequitur, a vero nos non multum aberrare, cum hanc fere notionem de origine carminis Enniani animo informamus. Namque duplici via Epicharmus Ennii ad dias luminis auras pervenire potuit. Aut enim ipse Ennius, quas latine et fortasse liberius converteret, sententias Pythagoreas e comoediis Epicharmi collegit et ad iustum quendam ordinem disposuit: aut collectio eiusmodi iam antea a Graeco aliquo erat confecta eamque latinam reddidit Ennius.

Neque obiiciat mihi quisquam locum istum, qui est Aristot. met. III. p. 79. ed. Brandis. οὕτω γὰρ ἁρμόττει μᾶλλον εἰπεῖν ἢ ὥσπερ Ἐπίχαρμος εἰς Ξενοφάνην. In praecedentibus ibi commendatur ratio illorum, qui vera sive τὰ ὄντα intellectu solo comprehendi censent: refutantur ii, qui apparitiones sensibiles esse veras arbitrantur. Quorum partes contra Xenophanem quodammodo defendisse videtur Epicharmus. Id enim certissima ratione ex verbis illis Aristotelis efficitur. Verum non sequitur inde, Epicharmum singularem in Xenophanis doctrinam conscripsisse libellum, eumque verbis illis εἰς Ξενοφάνην significari. Quodsi revera Aristoteles librum eiusmodi in manibus habuisset: profecto ἐν τῷ εἰς Ξενοφάνην, non nude εἰς Ξενοφ. dixisset. At quomodo tandem, quaerat ex me aliquis, quomodo Epicharmus in Xenophanem disputare potuit, nisi scripto vel carmine philosophico vel libello? In ipsis comoediis. Hoc autem non ita intelligi debet, ut Epicharmus in dialogis scaenicis singularem contra Xenophanis decreta disputationem instituerit: sed, quod alios quoque poetas fecisse invenies, personae eius scaenicae sententias pronuntiarunt, quae praeceptis Xenophanis omnino erant oppositae, aut, quod vero est etiam similius, Epicharmus subtilia Eleatici istius effata hic illic ad risum movendum more comicorum traduxit. Atque locos eiusmodi sine dubio respexit Aristoteles.

Ipsa adeo Diogenis Laertii verba οὗτος ὑπομνήματα καταλέλοιπεν, ἐν οἷς φυσιολογεῖ κ. τ. λ. et Eudociae φέρεται αὐτοῦ συγγράμματα φυσικὰ, γνωμολογικὰ καὶ πολλὰ ἰατρικὰ contra me non faciunt. Hi enim

scriptores, cum l. l. in eo sint, ut Epicharmi poesi omnino praetermissa studia eius philosophica designent: brevissimum adumbrant catalogum scriptorum, quae aut omnino aut aliquatenus ad philosophica referri possunt. Itaque iis adnumerarunt non tantum philosophicas Epicharmi sententias, quas aut ipsi in comoediis Epicharmi deprehenderant, aut ab aliis in corpus aliquod collectas inspexerant: verum etiam commentarios eius de agricultura rebusque similibus et ipsos adeo illos de re medica libellos. Qui cum, verbis Eudociae *καὶ πολλὰ ἰατρικὰ* si fidem habes, maiorem fere commentariorum partem effecisse videantur: uterque scriptor vocabulo *συγγράμματα* et *ὑπομνήματα*, quo libelli oratione pedestri conscripti vulgo designantur, omnia Epicharmi scripta ad philosophiam quodammodo pertinentia significavit. Unde minime sequitur, vocabulo *ὑπομνήματα γνωμολογικὰ* libellum aliquem peculiarem Epicharmi, quo sententiae prosaria oratione conscriptae continerentur, esse intelligendum: sed sententias eius philosophicas vocabulo generali *ὑπομνήματα* esse subsumendas. Quae scriptorum e brevitate nata incuria eo minus offendere potest, cum dictiones aeque vitiosae atque imperspicuae apud scriptores illius aetatis non raro inveniantur.

Sed ea tandem verba, quae ipse Epicharmus de sermonibus suis est effatus, ad sententiam meam infirmandam aliquis opponat. Diogenes enim lib. III. segm. 9. Epicharmum sententiarum suarum praestantiam ita agnovisse tradit, ut ob eas immortalem sibi gloriam fore praedixerit. *ὅτι δ' οὐδ' αὐτὸς Ἐπίχαρμος ἠγνόει τὴν αὑτοῦ σοφίαν, μαθεῖν*

ἐςι κὰκ τούτων, ἐν οἷς τὸν ζηλώσοντα πρόμαντεύεται.

Ὡς δ' ἐγὼ δοκέω, σαφὲς δοκεῖ γὰρ ἄμμι τοῦτ', ὅτι
Τῶν ἐμῶν μνάμα ποκ' ἐσσεῖται λόγων τούτων ἔτι·
Καὶ λαβών τις αὐτὰ, περιδύσας τὸ μέτρον, ὃ νῦν ἔχει,
Εἷμα δοὺς καὶ πορφύραν λόγοισι ποικίλαν καλοῖς,
Δυσπάλαιςος ὢν τοὺς ἄλλους εὐπαλαίςους ἀποφανεῖ.

Quae quidem poetae verba primo adspectu hanc fere speciem prae se ferunt, ut prooemium quoddam ad poema aliquod didascalicum commendandum continere videantur. Sed et hoc fragmentum e comoedia aliqua desumtum est. Epicharmum enim illud de futura sua immortalitate iudicium suo ipsius nomine esse effatum, e verbis Diogenis non sequitur. Atque fieri potuit, ut Epicharmus personam aliquam comoediae verba illa ita dicentem fecerit, ut se ipsum significari quivis sentire posset. Ita liberius etiam atque audacius Atheniensium poetae comici de se ipsis et laudibus suis in parabasibus sermocinari solebant. Proferam igitur, quam mihi de hoc fragmento sententiam conformavi. Eius enim versiculi, cum aeque atque illi, quos eodem loco ex Alcimo Diogenes attulit, numero trochaico tetrametro sint inclusi, et ipsum illud diverbium ex Ulysse naufrago petitum proxime sequantur: ex ipso initio illius diverbii, quod Ulysses cum Eumaeo instituit, repetiti mihi videntur. Namque ad praestantiam praeceptorum, quae mox est prolaturus, Ulysses subulci animum advertere studet. Ita ut Ulysses de sermonibus suis praedixerit ea, quae de suis praedicta esse vellet Epicharmus.

Quod autem de semet ipso vaticinium protulit Epicharmus, id postea omnino evenisse liquet ex iis, quae hucusque de studiis et scriptis Epicharmi philosophicis enarravi. Philosophi enim quam plurimi, quod Alcimus peculiari libello ostendit, versiculos Epicharmi numero exutos in libros suos transferebant, et ipsi patres, quos ecclesiasticos dicunt, praecepta sua maxime sublimia cum similibus Epicharmi sententiis componere non dubitabant. Quae cum ita sint, si e pauculis et dispersis reliquiis gravissima doctrinae Epicharmeae praecepta ad ordinem quendam disposita exhibeam, iis, quos et sapientiam poetae nostri cognoscere iuvat, non ingratum me esse facturum confido.

In universum sapientiae Epicharmeae indolem eo designavit Jamblichus in vita Pythag. c. 36., ut eum praecepta Pythagorae in comoediis divulgasse diceret. Quod quidem Jamblichi iudicium, si utriusque philosophi reliquias comparaveris, a vero non multum abesse deprehendes. Sed in nonnullis tamen rebus Epicharmus praeceptoris vestigia non est secutus, atque suam sibi subinde sententiam conformavit. Huc nonnulla de rebus naturalibus praecepta pertinent, quibus Epicharmus Empedocli viam praeivisse videtur. Cum enim Pythagorei antiquiores teste Aristotele in met. I. 7. eam doctrinae partem, quam vulgo physicam dicunt, minus excolerent: in ea Epicharmus aut alios est sequutus, aut sua ipsius inventa proposuit. At in illa doctrina, quae est de moribus quaeque eodem Aristotele met. I. 5. affirmante philosophiae Pythagoricae fundamentum erat, Epicharmum cum praeceptore maxime consensisse vero

est simillimum. Neque, qui tum temporis celebratissimi erant, philosophorum praecepta non perceperat Epicharmus. Ita et Heracliti Ephesii et Xenophanis, quem aequalem Epicharmi et Hieronis fuisse tradit Clemens Alex. strom. I. p. 130., praecepta non mediocriter ille nosse debebat. Cum enim teste vetere Grammatico apud Becker. anecd. p. 83. 28. antiquitas comoediam ab Heraclito denominatam haberet, eum ipsum eiusque doctrinam Epicharmus iocülariter perstrinxisse videtur. In qua philosophi alicuius derisione praeivisse videtur Atheniensium poëtis comicis, uti Eupolidi, Cratino, Aristophani aliisque, qui Socratem et Pythagoram perstringere non dubitarunt. At cum Xenophane in nonnullis rebus eum consensisse ipsae reliquiae eius docebunt; quanquam in aliis Xenophanem ab Epicharmo esse impugnatum ex loco Aristotelico, quem supra attuli, omnino consequitur.

Censet igitur Epicharmus, rerum universitatem e duabus constare substantiis, quarum natura omnino diversa sit. Altera enim elementorum corporeorum, quae perpetua vicissitudine et immutatione agitantur, universitatem complectitur: altera posita est in *ἰδέαις*, quae omnino immutabiles intellectu tantum percipiuntur, et veras rerum naturalium *οὐσίας* efficiunt. Ita causas universi primarias sibi opponi in versiculis Epicharmeis, quos apud Diogenem Laert. lib. III. seq. 9. attulit, iam sensit Alcimus. Is enim ibi inter Platonis et Epicharmi praecepta de ideis hanc instituit comparationem: *σκεπτέον δὲ, ὁ Πλάτων φησὶ, αἰσθητὸν μὲν εἶναι τὸ μηδέποτε ἐν τῷ ποιῷ μηδὲ ποσῷ διάμενον, ἀλλ' ἀεὶ ῥέον καὶ μεταβάλλον· ὡς ἐξ ὧν ἄν τις ἀνέλῃ τὸν*

ἀριθμὸν, τούτων οὔτε ἴσων οὔτε τινῶν οὔτε ποσῶν οὔτε ποιῶν ὄντων. ταῦτα δ' ἐστὶν ὧν ἀεὶ γένεσις, οὐσία δὲ μηδέποτε πέφυκε· νοητὸν δὲ, ἐξ οὗ μηδὲν ἀπογίνεται, μηδὲ προσγίνεται. τοῦτο δ' ἐστὶν ἡ τῶν ἀϊδίων φύσις, ἣν ὁμοίαν τε καὶ τὴν αὐτὴν ἀεὶ συμβέβηκεν εἶναι. καὶ μὴν ὅγε Ἐπίχαρμος περὶ τῶν αἰσθητῶν καὶ νοητῶν ἐναργῶς εἴρηκεν.

Ἀλλ' ἀεί τοι θεοὶ παρῆσαν, καὶ ὑπέλιπον οὐ πώποκα.
Τάδε δ' ἀεὶ πάρεσθ' ὅμοια, διὰ δὲ τῶν αὐτῶν ἀεί.

Similem Xenophanis doctrinam videre licet apud Aristotelem in libello de Zenone, Xenophane et Gorgia lib. 3. tom. II. p. 340. ed. du Vall. Rebus mente sola intelligendis (τοῖς νοητοῖς) hoc loco ab Epicharmo adnumerantur οἱ θεοί, qui semper fuerint neque unquam esse desierint. In qua re non est, quod miremur, Epicharmum ideis deorum nomen attribuisse. Hoc enim apud veterum poetas non raro invenies, causas rerum primarias atque efficientes deos nominari. Cuius rei cum e multis veterum locis exempla depromere possim: infra argumentum ex ipsius Epicharmi loco aliquo suppeditabo. Sed quid sibi volunt verba secundi versiculi, τάδε δ' ἀεὶ πάρεσθ' ὅμοια? Certo pronomen demonstrativum τάδε pertinet ad nomen quoddam praecedentibus, qui non afferuntur, Epicharmi versibus contentum. Res autem, quae nomine illo designabantur, necessario erant oppositae τοῖς θεοῖς; ab iis enim particula adversativa ἀλλὰ disiunguntur. Neque igitur fieri potest, ut τάδε non referatur ad res naturales (τὰ αἰσθητά), quae natura sua a diis tantopere sunt diversa. At, quae mutationi semper sunt obnoxia, quorsum dicuntur ἀεὶ παρεῖναι ὅμοια? Profecto rerum naturalium complexus sive univer-

sum significatur, cuius res singulae licet usque moveantur atque immutentur, ipsum tamen idem permanet. Non autem idem permaneret, verum et ipsum diffluerét, nisi subiaceret illi vis divina, semper eadem et ab omni mutatione aliena. Formarum enim et numerorum (ἰδεῶν καὶ ἀριθμῶν.), quibus fit, ut universi conditio semper eadem conservetur, origo e diis, qui semper iidem permanent, est derivanda. Huc refer alteram secundi versiculi partem διὰ δὲ τῶν αὐτῶν ἀεί. Pertinet enim τῶν αὐτῶν ad τοὶ θεοὶ, neque ad vocabulum proxime praecedens τάδε pertinere potest. Cum sententia loci sic constituta plane sunt congrua Platonis verba: ὡς ἐξ ὧν ἂν τις ἀνέλῃ κ. τ. λ. —

Eandem sententiam verbis διὰ τῶν αὐτῶν inesse iam Mericus Casaubonus in notis suis ad hunc locum ostendit eo, ut διὰ τῶν de viribus sive causis efficientibus vulgo dici censeret, dictionem autem ἔκ τινος γίγνεσθαι ad materiem corpoream spectare exemplis ex Hippocrate aliisque petitis demonstraret. At nequaquam est concedenda Menagii ad h. l. aliorumque sententia, verbis τοὶ θεοὶ, quae vulgo quatuor elementa dicuntur, esse intelligenda. Horum enim sententiam si sequeremur: rerum diversarum oppositio, qualem versiculis istis inesse omnino apparet, non tantum tolleretur: verum etiam comparatio, quam Alcimus Epicharmi inter et Platonis praecepta de ideis instituit, vana prorsus esset atque insulsa.

Sed sententia Epicharmi, inde ab omni aevo fuisse simul et corporea elementa et ideas, doctrinae eorum repugnat, qui molem rerum indigestam, quod chaos dicebant, ab initio fuisse contendebant.

Quodsi enim chaos omnium rerum primum aut erat aut exsistebat: falsum est Epicharmi dictum, semper adfuisse elementa et ideas. Epicharmus igitur eum, qui in diverbio isto alteram personam sustinet, sibi haec obiicientem facit:

Ἀλλὰ λέγεται μὰν χάος πρᾶτον γενέϑαι τῶν ϑεῶν,

duobus autem, qui sequuntur versiculis, repugnantiam, qua sententia ista involvitur, ostendit. Sunt autem versiculi eius ita legendi:

Πῶς δέ; κ' ἀμάχανον γ' ἀπό τινος· μὴ ὅτι πρᾶτον μόλοι,
Οὐκ ἄρ' ἔμολε πρᾶτον οὐδὲν, οὐδὲ μὰ Δία δεύτερον.

Nimirum sic argumentatur Epicharmus. Qui factum est, ut primum chaos sit exortum? (*πῶς δε;*) Non enim fieri potuit, ut e re quaquam chaos sit exortum; nam prius quidquam, ex quo chaos originem ducere potuerit, illi non admittebant. (*ἀμάχανον γ' ἀπό τινος.*) Chaos igitur exoriri omnino non potuit; nedum ut primum sit exortum. (*μὴ ὅτι πρᾶτον μόλοι.*) At, dicere aliquis possit, Chaos non primum extitisse, sed primum fuisse; hanc enim ambiguitatem verbo *γενέϑαι* omnino inesse. Sed si ita sententiam illorum accepisset Epicharmus: aliam etiam, qua errorem istorum refutaret, repugnantiam ostendere potuisset. Fatentur hoc enim omnes, aeternum atque immutabile fuisse id, quod primum neque ex alia re exortum fuerit. At chaos, ni omnino deletum existimas, omnino tamen immutatum censeas oportet. Neque igitur aeternum neque primum omnium rerum chaos fuisse potuit. Cf. Menagii not. ad. h. l. Quae cum ita sint, sic argumentum concludit Epicharmus: nil est, quod primum factum sit aut secundum; dii enim et rerum naturalium, quibus pro funda-

mento subiacent, universitas ex omni aeternitate adfuerint necesse est.

De rerum corporearum materia primaria ita censebat Epicharmus, ut ad quatuor eam elementa, ignem, aerem, terram aquam revocaret, atque e modo diverso, quo ea inter se cohaererent et miscerentur, diversae corporum qualitates existere statueret. Quae quidem opinio ei non tantum cum Empedocle, verum etiam cum ipso Pythagora communis fuisse videtur. Ita enim de hac re Vitruvius in praefatione lib. VIII. „*Pythagoras, Empedocles, Epicharmus aliique physici et philosophi haec principia quatuor esse posuerunt, aerem, ignem, aquam, terram, eorumque inter se cohaerentes naturali figuratione ex generum discriminibus efficere qualitates.*" Cf. Sturz. fragm. Emped. p. 144. Cum autem, quod supra iam significavi, causae rerum primariae a veterum poetis non raro deorum nomine dicerentur: inde fortasse explicandum est, quod Menander apud Stobaeum tit. 91. fragm. 151. mirum hoc de theologia Epicharmi protulit iudicium:

Ὁ μὲν Ἐπίχαρμος τοὺς θεοὺς εἶναι λέγει
Ἀνέμους, ὕδωρ, γῆν, ἥλιον, πῦρ, ἀςέρας,
Ἐγὼ δ' ὑπέλαβον, κ. τ. λ.

Quibus in versiculis hoc tantum a Vitruvii testimonio differt, quod pro igne solo partes eius, sol et stellae simul commemorantur. Profecto igitur Epicharmus dicta pronuntiaverat, quibus quatuor illis elementis divinitatem quandam tribueret. Atque extant fortasse dictorum eiusmodi reliquiae in fragmentis duobus Epicharmi Enniani, quo altero Jupiter tanquam symbolum aeris et rerum, quae ex

aëre efficiuntur, repraesentari videtur. Id autem est fragm. IX. apud Columnam p. 171.:

Istic is est Jupiter, quem dico, Graeci vocant
Aera; quippe ventus est et nubes, imber postea;
Atque ex imbre frigus: ventus post fit, aer denuo.
Istaec propter Jupiter sunt ista, quae dico tibi,
Qui mortalis, urbis atque belluas omnis iuvat,
Quod hic omnis et sub hoc . . . . .

Altero autem fragmento, quod secundum est apud Columnn., quatuor elementa simul tanquam universi principia laudasse videtur. Sunt autem eius verba:

Aqua, terra, anima, sol . . . .

Quibus verbis Varro de re rustica lib. I. c. 4. hanc suam adnotationem adiecit: *Eius, agriculturae scilicet, principia sunt eadem, quae mundi esse Ennius scribit, aqua, terra, anima, sol.*

Hanc autem necessariam omnium, quae ex elementis componantur, corporum conditionem esse statuit, ut quovis temporis momento aut crescant aut imminuantur, aut coalescant aut dissolvantur atque omnino immutentur. Quemadmodum igitur Plato loco supra laudato: ita Epicharmus quoque ad perpetuam hanc corporum immutationem significandam numero pari vel impari ea comparavit, quem, prout demeretur aliquid vel apponeretur, prout ex aliis in alias rationes transponeretur, omnino immutatum comparere dicerent. Cf. Plato Theaet. p. 153. A. Epicharmus igitur apud Diog. Laert. l. l.

A. Τῶν δέ γ', ὧν ἄμμες νῦν ὧδε λέγομεν, μέλλ' εἶμεν τάδε.
Αἴ ποτ' ἀριθμόν τις περισσὸν, αἰ δὲ λῇς τὸν ἄρτιον,

Ποτιθέμεν λῆ ψᾶφον, ἢ καὶ τὰν ὑπαρχοῦσαν λαβεῖν.
Ἦ δοκεῖ τοι καὶ ὁ αὐτὸς εἶμεν;
B. οὐκ ἐμὶν τάχα.
A. Οὐδὲ μαν, οὐδ' αἰ ποτὶ μέτρον παχυ ἐὸν λῆ τις ποτθέμεν
Ἕτερον ςεῤῥὸν μᾶκος, ἢ τοῦ πρόσθ' ἐόντος ἀποταμεῖν.
Ἔτι χ' ὑπάρχοι κεῖνο τὸ μέτρον. Οὐ γάρ;

Addidit insuper, ut, quam fluxa et caduca corporum conditio esset, doceret, exemplum petitum a corpore humano, quod singulis momentis mutationibus agitetur.

Ὧδε νῦν ὁρῆ
Καὶ τὼς ἀνθρώπως. ὁ μὲν γὰρ αὔξεθ', ὁ δέ γα μὰν φθίνει.
Ἐν μεταλλαγᾷ δὲ πάντες ἐντὶ πάντα τὸν χρόνον.
Ὃ δὲ μεταλλάσσει κατὰ φύσιν. κ' οὔποκ' ἐν ταὐτῷ μένει,
Ἀλλὰ ἕτερον εἴη κ' οὐκ αὐτὸ τοῦ παρεξεςακότος.
Καὶ τὺ δὴ κἀγὼ χθὲς ἄλλοι, καὶ νῦν ἄλλοι τελέθομες,
Καὖθις ἄλλοι, καὶ οὔποχ' αὐτοὶ τελέθομες καττὸν λόγον.

Idem corpus nostrum morte tandem in terram dissolvi, versiculis illis elegantissimis significavit, qui extant apud Plutarchum in consol. ad Apollon. c. 15. quosque ita esse legendos censuit Gatackerus ad Antoninum p. 541.

Συνεκρίθη καὶ διεκρίθη. καὶ ἀπῆνθεν, ὅθεν ἦνθε πάλιν·
γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμα δ' ἄνω.

Atque idem fortasse docuit sensu Epicharmeo Ennius fragm. V.

Esse igitur corpus terram, quae deperit ipsam,
Et capit, et neque iam dispendi conficit hilum.

At non tantum ipsas immutabiles esse ideas censet, verum etiam aeterna illa exempla, quibus singula corpora et efformentur, eorumque genera integra semper conserventur. Quam quidem sen-

tentiam Epicharmus v. 1. et 2. quos supra e Diog. Laert. attuli, perspicue satis pronuntiavit. His autem componi debet Alcimi quoque addidamentum, qui eandem cum Epicharmo sententiam in doctrina Platonis se reperisse putabat. Audi verba eius: *ἔςι δὲ τῶν εἰδῶν ἓν ἕκαςον ἀΐδιόν τε καὶ νόημα, καὶ πρὸς τούτοις ἀπαθές. διὸ καί φησιν ἐν τῇ φύσει τὰς ἰδέας ἑςάναι καθάπερ παραδείγματα· τὰ δ' ἄλλα ταύταις ἐοικέναι, τούτων ὁμοιώματα καθεςῶτα.* Itaque quum ideae per totam rerum naturam sint dispersae: in humano animo quoque ideae quaedam insunt, quae non extrinsecus percipiuntur, sed velut innatae ex ipso animo exoriuntur. E quibus ideis homines, si ad eas actiones suas conformaverint, denominare adeo solemus. Id autem Epicharmus exemplo, quod ab arte tibiis canendi repetiverat, demonstrare conabatur. Uti enim hominem, sic ille ratiocinabatur, non ipsam tibiis canendi artem esse, constaret, sed eum, qui hanc artem calleret, tibicinem dicere consuessemus: ita hominem non ipsam boni ideam esse, sed eum, qui boni ideam conscientia percepisset atque actionibus suis expressisset, bonum hominem denominari. Quae huc pertinet Epicharmi ratiocinatio, haec est, quam Alcimus l. l. conservavit. *Ὁ τοίνυν Επίχαρμος περί τε τοῦ ἀγαθοῦ καὶ περὶ τῶν ἰδεῶν οὕτω λέγει·*

A. Ἆρ' ἐςιν αὔλησίς τι πρᾶγμα; B. πάνυ μὲν οὖν.
A. Ἄνθρωπος οὖν αὔλησίς ἐςιν; B. οὐδαμῶς.
A. Φερ' ἴδω, τί δ' αὐλητάς; τίς εἰμέν τοι δοκεῖ;
Ἄνθρωπος; ἢ οὐ γαρ; B. πάνυ μὲν οὖν. A. οὐκοῦν δοκεῖ
Τοι καὶ περὶ τοῦ ἀγαθοῦ οὕτως ἔχειν; τὸ μὲν
Ἀγαθὸν εἶμεν τὸ πρᾶγμα καθ' αὔθ'; ὅςις δέ κα

Εἴδῃ μαθὼν τῆν᾽, ἀγαθὸς ἤδη γίνεται.
Ὥσπερ γὰρ τὴν αὔλησιν αὐλητὰς μαθὼν
Ἢ ὀρχηςὰς ὄρχησιν, ἢ πλοκεὺς πλοκὰν,
Ἢ πᾶν γ᾽ ὁμοίως τῶν τοιούτων ὅτι τυ λῆς,
Οὐχ αὐτὸς εἴη χ᾽ ἁ τέχνα· τεχνικός γε μάν.

Atque in ipsis animalibus cum Platone Epicharmus sapientiam aliquam deprehendebat in ideis quibusdam similitudinis aliarumque rerum, sine quibus animalia neque vitam sustentare neque genus propagare possent. Ita igitur Alcimus l. l. *Πλάτων ἐν τῇ περὶ τῶν ἰδεῶν ὑπολήψει φησίν· Εἴπερ ἐςὶ μνήμη, τὰς ἰδέας ἐν τοῖς οὖσιν ὑπάρχειν· διὰ τὸ τὴν μνήμην ἠρεμοῦντός τινος καὶ μένοντος εἶναι· μένειν δὲ οὐδὲν ἕτερον ἢ τὰς ἰδέας· τίνα γὰρ ἂν τρόπον, φησὶ, διεσώζετο τὰ ζῶα μὴ τῆς ἰδέας ἐφαπτόμενα καὶ πρὸς τοῦτο τὸν νοῦν φυσικὸν εἰληφότα; νῦν δὲ μνημονεύει τῆς ὁμοιότητός τε καὶ τροφῆς, ὁποία τις ἐςὶν αὐτοῖς, ἐνδεικνύμενα διότι πᾶσι τοῖς ζώοις ἔμφυτός ἐςιν ἡ τῆς ὁμοιότητος θεωρία. διὸ καὶ τῶν ὁμοφύλων αἰσθάνεται. πῶς οὖν ὁ Ἐπίχαρμος;*

Εὔμαιε, τὸ σοφόν ἐςιν οὐ καθ᾽ ἓν μόνον·
Ἀλλ᾽ ὅσσα περ ζῇ, πάντα καὶ γνώμαν ἔχει.
Καὶ γὰρ τὸ θῆλυ τῶν ἀλεκτορίδων γένος,
Αἰ λῆς καταμαθεῖν ἀτενὲς, οὐ τίκτει τέκνα
Ζῶντ᾽, ἀλλ᾽ ἐπωάζει καὶ ποιεῖ ψυχὴν ἔχειν.
Τὸ δὲ σοφὸν ἁ φύσις τοδ᾽ οἶδεν ὡς ἔχει
Μόνα· πεπαίδευται γὰρ ἂν ταύτας ὕπο.

καὶ πάλιν·

Θαυμαςὸν οὐδέν ἐςι, μὲ ταῦθ᾽ οὕτω λέγειν,
Καὶ ἁνδάνειν αὐτοῖσιν αὐτοὺς, καὶ δοκεῖν
Καλῶς πεφύκειν· καὶ γὰρ ἁ κύων κυνὶ
Κάλλιςον εἶμεν φαίνεται, καὶ βοῦς βοῒ
Ὄνος δ᾽ ὄνῳ κάλλιςόν ἐςιν, ὗς δ᾽ ὑΐ.

Quibuscum comparandum est fragmentum Ennii X.

Ova parire solet genu pennis condecoratum
Non animas . . . . . .
Inde venit divinitu pullis insinuans se
Ipsa anima . . . . .

Omnium idearum, quibus universum continetur et conservatur, complexus sive potius origo numen divinum est. Cuius quidem naturam maxime in vi intelligendi esse positam ut statueret, id Epicharmus hac ratiocinandi via perfecit. Putabat enim, quaenam numinis divini natura esset, id maxime cerni animo humano, qui divini animi pars esset sive potius effluvium. Nimirum sic concludit. Uti homines vitam omnem numero digerunt atque ratione: ita universum summa arte atque ratione numinis divini administratur. Omnis enim ars atque ratio a deo provenit. Haec sententia doctrinae Pythagoricae quam sit accommodata, ostendit locus, qui est apud Ciceronem de nat. deor. I. c. 11., et Epicharmum ita statuisse docet Clem. Alex. strom. V. p. 258. *ὅ τε κωμικὸς Ἐπίχαρμος σαφῶς περὶ τοῦ λόγου ἐν τῇ πολιτείᾳ λέγει ὧδέ πως·*

Ὁ βίος ἀνθρώποις λογισμοῦ κἀριθμοῦ δεῖται πάνυ·
Ζῶμεν ἀριθμῷ καὶ λογισμῷ· ταῦτα γὰρ σώζει βρότους.

εἶτα διαῤῥήδην ἐπιφέρει·

Ὁ λόγος ἀνθρώπους κυβερνᾷ καὶ σαώζει τὸν τρόπον.

εἶτα·

Εἰ ἔςʼ ἀνθρώπῳ λογισμὸς, ἔςὶ καὶ θεῖος λόγος,
Ὁ λόγος ἀνθρώπῳ πέφυκε περὶ βίου καὶ τὰς τρόφας.
Ὁ δέ γε τὰς τέχνας ἅπασι συνέπεται θεῖος λόγος,
Ἐκδιδάσκων αὐτὸς αὐτοὺς, ὅτι ποιεῖν δεῖ σύμφερον.
Οὐ γὰρ ἄνθρωπος τέχναν εὗρ· ὁ δὲ θεὸς ταύταν φέρει.
Ὁ δέ γε τʼ ἀνθρώπου λόγος πέφυκʼ ἀπὸ τοῦ θείου λόγου.

Non quidem ab ipso Epicharmo opus illud ἡ πολίτεια, quod laudat Clemens Alex. provenisse videtur: sed nomine eius a Chrysogono quodam confectum erat, si fides est habenda Athenaeo, qui lib. XIV. p. 648. e. hanc Chrysogoni fraudem denotavit. Illum vero, cum scripta sua nomine Epicharmi divulgaret, sententias certe doctrinae Epicharmeae consentaneas pronuntiare omnino oportuit. Quapropter ego, ut doctrinam Epicharmi hac ex parte complerem, versus illos Chrysogoni ad usum vocare non dubitavi. Accedit, quod eadem fere sententia ipsius Epicharmi verbis pronuntiatur apud Diogenem Laert. l. l. *Εὔμαιε, τὸ σοφόν ἐστιν οὐ καθ᾽ ἓν μόνον, κ. τ. λ.* Quibuscum cf. fragm. Ennii supra allatum.

Quodsi omnes ideas e numine illo divino exoriri, iisque universum et penetrari et conservari concedis: inde alteram Epicharmi de deo sententiam, quam Clem. Alex. servavit, consequi fateare necesse est. Is enim strom. lib. V. p. 255. ita disserit: *ὁ μὲν Ἐπίχαρμος Πυθαγόρειος ἦν λέγων.*

Οὐδὲν ἐκφεύγει τὸ θεῖον τοῦτο· γιγνώσκειν σε δεῖ.
Αὐτὸς ἐσθ᾽ ἁμῶν ἐπόπτης. ἀδυνατεῖ δ᾽ οὐδὲν θεός.

Vides, quam veram atque sanctam dei notionem sit sequutus. Nimirum eminere in rerum natura numen divinum — *τὸ θεῖον* — quod ubique locorum praesens adsit, omnia cernat, omnia efficere possit. Is est hominum ille *ἐπόπτης*, quem nihil latet; est enim, ut ait Pythagoras teste Cicerone de nat. deor. I. c. 11. „*Animus per naturam rerum omnem intentus et commeans, ex quo animi nostri carperentur.*„ Cf. Cicero de senect. c. 21. Diog. Laert. VIII. 27.

Quod autem opinati sunt veterum philosophorum plurimi, menti divinae subtilem atque igneam materiam esse subiectam, idem statuisse videtur Epicharmus, siquidem fides est habenda Ennio, qui fragm. III. et IV. minutas has Epicharmi reliquias conservavit:

III. *Terra corpus est: at mentis ignis . . .*

IV. *Est de sole sumtus ignis, isque totus mentis est.*

Habes sententiam omnino ad Pythagoreorum decreta conformatam. Hi enim solem pro domicilio Jovis habebant, et in calore eius per totam rerum naturam diffuso vitae et rationis principium collocabant. Cf. Diog. Laert. VIII. 27. Sext. Empir. adv. Mathem. IX. 127.

At hominis natura e duabus partibus iisque diversissimis est composita. Namque corpus conflatum est ex materia prorsus caduca — quocirca homines utriculos inflatos ab Epicharmo dictos esse tradit Clem. Alex. strom. IV. p. 211. — animus vero, cui insint ideae immutabiles, ipse est immutabilis atque numinis divini effluvium. Inde natura humana morte ita dissolvitur, ut corpus quidem in aliam quandam materiam dilabatur, animus vero eo, unde venerit, refluat. Audi Epicharmum apud Plutarch. cons. ad Apollon.

Συνεκρίθη καὶ διεκρίθη. κὰὶ ἀπῆνθεν ὅθεν ἦνθε πάλιν.
Γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμα δ' ἄνω. τί τῶνδε χαλεπόν;

Cf. Antonin. IV. p. 541. ed. Gatacker. Wyttenbach opusc. II. p. 537. Ennii fragm. V. et VI.

Addit insuper Epicharmus, animum eam hominis esse vim, qua omnis eius vita atque actio efficiatur. Esse igitur animum, cui omnis et sui ipsius et sensuum cognitio sit tribuenda: corporis

autem sensus tanquam instrumenta ad eam percipiendam usurpari. Inde coecos et surdos esse sensus, animum autem ipsum audire et cernere dixit versiculo illo celebratissimo, qui est apud Clem. Alex. strom. II. p. 159.

Νοῦς ὁρῇ, καὶ νοῦς ἀκούει. τἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά.

Cf. Plato. Phaedo. 10. et Olympiodor. ad h. l. p. 101. ed. Wyttenbach. Eandem fere Xenophanis sententiam invenies apud Sextum Empiricum adv. Phys. IX. 144.

Οὖλος ὁρᾷ, οὖλος δὲ νοεῖ, οὖλος δέ τ' ἀκούει.

Cf. Aristot. de Xenoph. l. l. Diog. Laert. IX. 19. Ast. de Platonis Phaedro p. 76. Atque ea sensuum conditione fortasse factum est, ut sobrietatem et suspicionem quandam in iudicando commendaret versiculo nobilissimo, quem servavit Cicero epist. ad Atticum I. 19.

Νᾶφε καὶ ἀπίζει. ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Sed animi castitatem, quippe quae iustitia solum et pietate comparari posset, a corporis munditie nequaquam pendere censuit. Quam quidem sententiam non sine ullo expiationum, quae apud Graecos erant frequentissimae, pronuntiasse videtur fragmento, quod idem Clem. Alex. strom. VIII. p. 303. servavit:

Καθαρὸν ἐὰν τὸν νοῦν ἔχῃς, ἅπαν τὸ σῶμα καθαρὸς εἶ.

Eam autem animi castitatem id efficere putabat, ut, quibus insit, soli aeternam post mortem beatitudinem consequerentur. Ita enim Clemens Alex. strom. IV. p. 232. *Ἄγαμαι τὸν Ἐπίχαρμον σαφῶς λέγοντα.*

Εὐσεβὴς νόῳ πεφυκὼς οὐ πάθοις γ' οὐδὲν κακὸν
Κατθανών. ἄνω τὸ πνεῦμα διαμένει κατ' οὐρανόν.

Singula autem de moribus praecepta Epicharmus ad numeros revocasse videtur; siquidem e loco, qui extat apud Clem. Alex. strom. V. p. 258. colligere quidquam licet. *ὅτε κωμικὸς Ἐπίχαρμος σαφῶς περὶ τοῦ λόγου ἐν τῇ πολιτείᾳ λέγει ὧδέ πως.*

Ὁ βίος ἀνθρώποις λογισμοῦ κἀριθμοῦ δεῖται πάνυ.
Ζῶμεν ἀριθμῷ καὶ λογισμῷ. ταῦτα γὰρ σώζει βρότους.

Cum vero sententiarum huc pertinentium sufficiens desit copia: fieri non potest, ut quomodo singula illa praecepta ad rationes mathematicas Epicharmus revocaverit, ostendamus. Quodsi re vera id fecit Epicharmus: exemplum sequutus est antiquiorum Pythagoreorum, quos ad doctrinam suam de moribus explicandam maxime notiones mathematicas adhibuisse refert Aristoteles metaph. I. 5., XIII. 4.

Hoc quoque commemoratu dignissimum esse arbitror, Epicharmum nonnulla sermonis et ratiocinandi artificia, qualia postmodum a sophistis et frequentabantur et augebantur, ad sermones suos non raro adhibuisse. Itaque bene ille noverat Spartanorum gryphum, quem *λόγον ἐν λόγῳ* teste Eustathio ad Odyss. IX. p. 1635. 15. dicere consueverat. Cf. Mueller. Dor. III. p. 392. Quin etiam sophistae quaedam ab Epicharmo didicisse videntur, uti sermonis illam speciem, quam *τὸν λόγον αὐξανόμενον* dicebant. Eam enim ab Epicharmo inventam esse tradit Chrysippus apud Plutarch. advers. Stoicos. p. 1082. A. *ὁ τοίνυν περὶ αὐξήσεως λόγος ἐστὶ μὲν ἀρχαῖος· εὕρηται μεν, ὥς φησι Χρύσιππος, ὑπ' Ἐπιχάρμου.* Cf. Plutarch. de sera num. vind. p. 61, et Wyttenbach ad h. l. —

Sed ut tandem ad argumentum propositum, unde longissime sum evagatus, aliquando redeam: Epicharmus, cum Pythagorae doctrinam discipulus sive ἐσωτηρικὸς sive ἐξωτηρικὸς perceperit: in Italia et quidem ante Ol. LXVIII. fuerit necesse est. Hoc, ut aetatem Epicharmi paulo accuratius definire possis, probe est tenendum. Veterum enim auctores, cum de poetae nostri die natali et morte ne syllabam quidem dixerint: aetatem, qua arte sua ille maxime floruisset, incerte satis designarunt. Cf. Suidas s. v. Itaque in hac ratiuncula subducenda sic fere est progrediendum. Namque Epicharmus, ut ad disciplinam Pythagorae admitti posset, aetatem annorum viginti circiter vel triginta adsecutus esse debebat. Quibus annis cum addideris octo illos, per quos discipulorum examina continuari solebant: duodetriginta circiter annos vel duodequadraginta habebis. Hac autem annorum summa ab Ol. LXVIII. subducta supererit fere Ol. LX. qua Epicharmus recens natus in Siciliam advenerit.

At obiicere aliquis possit, annum natalem Epicharmi, ut ego ad Ol. LX. retulerim, ita quoque eadem ratione paulo altius, uti ad Ol. L. apponi posse. Hoc autem re vera nonnullos fecisse docet Fabricius bibl. graec. tom. II. p. 300. Sed rationibus nunc addendis hoc me esse demonstraturum confido, Epicharmi natales neque multo infra neque supra Ol. LX. ponendos esse. Si enim adversariis haec duo ostendero, Epicharmum aetatem plus nonaginta annorum esse assecutum, eumque post Ol. LXXXII. aliquantulum etiam vixisse; natales poetae nostri sub Ol. LX. fuisse omnibus ne-

cessario erit concedendum. Sed ecce, duo illa ratione certissima efficere possum. Primum enim non unus sed plures veterum auctorum Epicharmum ad summam senectutem pervenisse tradiderunt. Itaque rem ita enarravit Diogenes Laert. in vita saepius laudata: *βιοὺς δὲ ἔτη ἐνενήκοντα κατέστρεψε τοῦ ζῆν.* Idem testimonium iisdem fere verbis repetitum invenies apud Eudociam in Villoisonii anecd. vol. I. p. 193. *βιοὺς δὲ ἔτη ἐνενήκοντα τὸν βίον κατέστρεψεν.* Sed paulo longius vitam Epicharmi provexit Lucianus in Macrobiis, qui sub finem istius libri haecce habet: *καὶ Ἐπίχαρμος, ὁ τῆς κωμῳδίας ποιητὴς καὶ αὐτὸς ἐνενήκοντα καὶ ἑπτὰ ἔτη λέγεται βιῶναι.* Neque praetermittendus est Aelianus, qui in Var. Hist. II. 34. Epicharmum virum *πάνυ σφόδρα πρεσβύτην* dixit. Quorum omnium Luciani indicium certissimum fortasse est existimandum. Sed ne vel iusto minus vel nimium ponam: mediam ego rationem sequar, atque Epicharmum nonaginta tres annos fere vixisse statuam.

Superest autem, ut alterum illud demonstrem, Epicharmum sub Ol. LXXXII. adhuc in vivis fuisse. Auctor igitur marmoris Arundeliani, cui in temporibus rerum antiquarum definiendis tantum debemus, Epicharmum aequalem Hieronis, regis Syracusani fecit, atque utriusque aetatem collocavit in Ol. LXXVII. 1., cum Chares Athenis magistratus esset. Cf. Clementis Alex., qui ad Timaeum provocavit, testimonium, quod est strom. I. p. 130. Iam qui novit rationem, quam antiqui temporum scriptores in hominum aetatibus definiendis sequuntur: is hoc quoque novit, eos aut alterutrum vitae terminum i. e. natales vel mortem ita apposuisse, ut reliquam

annorum summam addiderint: aut neutro satis explorato memorabile aliquod tempus e reliqua vita consignasse, quo, si omnino, at aliquatenus aetatem hominum quorundam definirent. Hoc autem, quod memorabile vitae tempus dixi, cum neque in ipsos natales neque in mortem cadere possit: inter utrumque vitae terminum vel in adolescentia vel in virili aetate vel in senectute erit collocandum. Inde non facile quisquam erit, qui hanc sibi opinionem in mentem inducat, Epicharmum vel Hieronem Ol. LXXVII. 1. esse mortuos: at utrumque post tempus istud aliquantulum vitam suam produxisse, quivis necessario concedet. Quod autem Hieronem post Ol. LXXVII. 1. in vivis fuisse modo dixi: id ex historia quoque demonstrari poterit. Namque eum Syracusarum imperium Ol. LXXV. 3. obtinuisse tradit Diodorus Sic. lib. XI. c. 38. Cf. Schol. Pindari ad Pyth. I. Eusebii chron. Bentley. opusc. phil. p. 44. Atque, eidem Diodoro l. l. si fidem habes, Hiero per tres fere Olympiades Syracusis regnavit. Mortuus est igitur Ol. LXXVIII. 3. Vides inde, auctorem marmoris Arundeliani ad Hieronis aetatem definiendam tempus quoddam, quod imperii eius medium erat, consignasse. Neque multo aliter de Epicharmi aetate esse iudicandum ex hisce sequitur. Epicharmus enim non unam sed complures suas fabulas intra Hieronis imperium conscripsit: quanquam, quod infra ostendam, fabulas scribere iam multo antea inceperat. Itaque refert scholiast. ad Pind. Pyth. I. Epicharmum in comoedia sua *ἑορτὴ καὶ νᾶσοι* mentionem fecisse Hieronis, qui intercessione sua Anaxilaum Locris perniciem adducere prohibuisset. Hiero autem cum Ol. LXXVII. 1.

imperium sit assecutus, mortuus vero sit Anaxilaus Ol. LXXVI. 1.: rixa illa regum circa Ol. LXXVI. acciderit necesse est. Illa igitur Epicharmi comoedia, cum ante LXXVI. conscribi non potuisset: paulo post Ol. LXXVI. ad lucem prodire debuit. Sed praeter eam Epicharmus regnante Hierone maxima ex parte illas edidit comoedias, quae philosophico suo argumento ab aliis quodammodo differrent. Rem designavit Iamblichus in vita Pythag. c. 36. verbis: ἀφικόμενον δὲ εἰς Συρακούσας διὰ τὴν Ἱέρωνος τυραννίδα τοῦ μὲν φανερῶς φιλοσοφεῖν ἀποσχέσθαι, εἰς μέτρον δ' ἐνεῖναι τὰς διανοίας τῶν ἀνδρῶν μετὰ παιδίας κρύφα ἐκφέροντα τὰ Πυθαγόρου δόγματα. Ea igitur aetate Epicharmo, cum non unam tantum, verum plures comoedias easque fortasse praestantiores componeret; integer adhuc et felicissimus animi vigor inesse debebat. Iam mecum ponas, Epicharmum fabulas modo laudatas per Hieronis imperium i. e. Ol. LXXVI. et inter Ol. LXXVIII. anno aetatis suae septuagesimo vel octogesimo conscripsisse, nam id eum supremu vitae die, anno aetatis nonagesimo tertio sive septimo fecisse non concedes, restant quindecim vel viginti anni, quibus Epicharmus Hieroni supervixit. Quae cum ita sint, a vero non multum aberrare mihi videor, cum Epicharmum ad Ol. LXXXII. vel LXXXIII. vitam produxisse statuo. Cf. Dahlmann. de orig. com. p. 20. Neque huic meae sententiae obstant aliorum auctorum testimonia, quibus Epicharmi aetas in Ol. LXXIII. refertur. Haec enim testimonia, quomodo sint intelligenda et unde venerint, id in vita infra continuanda explicatius dicam.

Itaque cum fines, quibus vita Epicharmi continetur, quantum potui, firmaverim: illuc, unde excursum hunc sum exorsus, revertendum esse censeo. Epicharmus igitur in Italia, et quidem ante mortem Pythagorae aliquamdiu erat. Inde autem vel paulo ante mortem praeceptoris vel paulo post eam in insulam Con rediisse videtur. Quem reditum in terram patriam ut institueret, quaenam eum causae adduxerint: id quidem veterum testimoniis destituti omnino ignoramus. Sed, quae de re tali coniecturae proferri possunt, earum haec mihi vero simillima videtur. Namque res est notissima, coniurationes illas in Pythagoreos, quae iam multo ante essent exortae, sub Ol. LXVIII. per Cylonem quendam Crotoniatam ad exitum esse perductas. Vid. Diod. Sicul. tom. II. p. 556. ed. Wess. Iambl. in vita Pyth. c. 35. Bentley. opusc. phil. p. 191. Itaque Crotone domo Milonis, in qua nonnulli Pythagoreorum abditi laterent, incensa, omnes illi, duobus exceptis, igne sunt consumti. Eadem calamitas mox accidit illis Pythagorae asseclis, qui in oppido Tarento erant congregati. Atque inde ex eo tempore per omnem Italiam Pythagoreos persequi incipiebant. Cf. Iambl. l. l. Quae pernicies cum ipsis discipulis pararetur: fieri non poterat, quin ipse magister eadem clade opprimeretur. Quanquam ratio, qua occisus est Pythagoras, non omnino constat. Cf. Bentley. opusc. phil. p. 192. Plurimi igitur diseipuloram vitam in turbis istis amiserant: paucissimi vero fuga servari potuerant.

Epicharmus autem, licet ad σύςημα τῶν ἀνδρῶν, quae verba sunt Jamblichi, non pertinuisset: idem tamen, cum discipulus Pythagorae fuisset, ab ini-

micis magistri pessima quaeque timere debebat. Quod eo verius tibi videbitur, cum Epicharmi patrem intimam cum Pythagora familiaritatem contraxisse consideraveris. Itaque aut ipso eo tempore, quo furor coniurationis erupit, aut paulo ante motibus, qui eam praecesserant, impulsus ex Italia profugus abiit. Quanquam missis hisce, quas coniecturas esse modo dixi, ea, quae multo sunt certiora, demonstrare conabor.

Quod igitur ex Italia in insulam Con Epicharmum rediisse contendi: id quidem neque veterum quisquam, neque adeo Diogenes et Suidas in vita Epicharmi disertis verbis dixerunt. Sed ipsi illi duo scriptores efficiunt, ut hanc meam sententiam necessario statuendam esse concedas. Hic vero duo illa, quae iam supra monui, in mentem tibi revocare debes. Nimirum Diogenem vitam suam Epicharmi ita in breve coëgisse, ut magnae in ea lacunae compareant, Suidam autem singula tantum eaque diversissima indicia, quae inter se coniungere ipse desperasset, temere composuisse. Itaque in verbis illis Diogenis: *τριμηνιαῖος δ᾽ ὑπάρχων ἀπηνέχθη τῆς Σικελίας εἰς Μέγαρα. ἐντεῦθεν δὲ εἰς Συρακούσας* lacuna interest, quam Suidae testimonio quodammodo complere queas. Verba eius haec sunt: *τινὲς δὲ αὐτὸν Κῷον ἀνέγραψαν τῶν μετὰ Κάδμου εἰς Σικελίαν μετοικησάντων, ἄλλοι Σάμιον, ἄλλοι Μεγάρων τῶν ἐν Σικελίᾳ.* Atque primo aspectu Suidae illa narratio Diogenis testimonio e diametro repugnare videtur. Hunc enim si sequeris, Epicharmum circa Ol. LX. ex insula Co in Siciliam pervenisse statues. Quod quidem tempus qui recte a me definitum esse negaverit: idem tamen Epi-

charmum, quem Diogenes ad Pythagorae disciplinam accessisse narraverit, ante Ol. LXVIII. ex insula Co abiisse concedet. Sed ecce! Suidas complurium adeo auctorum, quos cur respuas, causa non extat, auctoritate nixus Epicharmum cum Samiis et Cadmo principe ex insula Co in Siciliam advenientem facit. Hunc autem Samiorum in Siciliam adventum circa Ol. LXXI. accidisse paulo post rationibus certissimis demonstrabo. Quomodo igitur haec auctorum discrepantia dissolvi poterit? Dicam ego, qua via efficere possis, ut optime illi inter se congruant.

Namque Epicharmus bis in Siciliam iter fecit. Atque prius iter, quod commemoravit Diogenes, in Ol. LX. incidit: alterum autem, cuius mentionem fecit Suidas, ponendum est in Ol. LXXI. anno primo. Cur autem uterque scriptor altero itinere omisso alterum tantum idque diversum commemoraverit: id hac ex causa factum esse suspicor. Diogenes enim, cum de *philosopho* Epicharmo narrare sibi propositum haberet: prius illud Epicharmi iter, quo confecto mox ad Pythagorae disciplinam accessit, commemorare debebat. Verum alterum, quippe quod ad studia Epicharmi philosophica enarranda omnino non pertineret, omittere Diogeni licebat. Suidas vero, cum de Epicharmo poeta comico narrare quaedam instituisset: alterum illud iter, quod Epicharmus cum Cadmo in Siciliam fecerat, commemorare debebat. Nam non multo post iter istud confectum Epicharmus primum Megaris comoedias edere incepit. Vides igitur, hac mea sententia, Epicharmum bis in Siciliam fecisse, omnem auctorum discrepan-

tiam tolli. Neque desunt exempla, quibus narrationem vel testimoniis iusto nimium decurtatis vel e diversis scriptoribus repetitis multum perturbari ostendas. Ita, ut unum proferam, eodem modo Hermannus in progr. de choro Eumenidum vitam Aeschyli, quam nunc habemus, e diversis indiciis esse consarcinatam demonstravit. Quae si congruere velis, Aeschylum quater adeo in Siciliam iter fecisse statuendum esse.

Sed ad sententiam meam omnino confirmandam accedit indicium aliquod parum hucusque perpensum, quod extat apud Diomedem grammaticum p. 486. Is enim haec habet: *Sunt, qui velint Epicharmum in insula Co exulantem primum hoc carmen frequentasse et sic a Co comoediam dici.* Quae quidem grammatici verba in universum turpissimum continent mendacium, nimirum comoediam inde esse denominatum, quod Epicharmus primam comoediam in insula Co edidisset. Sed falsae huic coniecturae verum tamen subest fundamentum, quod positum est in verbis: *Epicharmum in insula Co exulantem.* Rem enim eiusmodi a grammatico illo prorsus effictam esse non facile quisquam concedet. Sed quid tandem sibi vult exilium istud, quo in insula Co Epicharmum versatum esse grammaticus tradit? Id vero ad mutilam Diogenis et Suidae narrationem resarciendam egregrie quadrare videbis. Epicharmum enim, cum Ol. LX. fere in insula Co natus esset, tres tantum menses in hac insula vixisse refert Diogenes. Tum circa Ol. LXVIII. eum in Coam insulam reversum vides. Cum enim Diomedes l. l. eum ibi primum comoediam excolentem fecerit: profecto Epichar-

mus exul ad aetatem iuvenilem pervenisse et vitam fere ad Ol. LXVIII. sive LXIX. produxisse debebat. Deinde vero, quod refert Suidas, Ol. LXXI. cum Cadmo denuo in Siciliam navigationem instituit. Itaque haec tria auctorum indicia inter se coniuncta optime congruunt. At, dicat aliquis, cur tandem grammaticus ille Epicharmum in insula Co, qui locus eius erat natalis, exulem fuisse dixit? Neque hanc quaestionem solvere difficile est. Quod enim facere consuevimus, ut locum, quem quis diutissime incolat, eius patriam esse arbitremur, atque veram eius patriam ignoremus: idem accidere potuit illi scriptori, unde suum testimonium desumsit Diomedes. Nimirum, quod facillime aut praetermitti a scriptoribus, aut apud eos in oblivionem cadere poterat, tres tantum menses in insula Co post dies natales Epicharmus vixit. Quod sequitur inde tempus ab Ol. LX. usque ad Ol. LXVIII. in Sicilia vel in Italia versatus est. Quas quidem terras grammaticus ille cum veram Epicharmi patriam haberet: duos vel tres annos istos, quos denuo in insula Co vixit, vitam extra patriam, i. e. exilium dicere non dubitavit. Verum quomodocunque se habet exilium istud, hoc quidem est certissimum, Epicharmum Ol. LXVIII. et LXXI. denuo in insula patria esse versatum.

Quod autem supra sub Ol. LXXII. Epicharmum cum Samiis et Cadmo ex insula Co in Siciliam esse transvectum significavi: eius itineris tempora me vera designasse, ex Herodoto, Thucydide, Diodoro demonstrandum est. Sed argumentatio haec est eiusmodi, ut paulo altius repeti debeat. Namque Herodotus lib. VI. c. 23. haecce enarravit.

Cum Miletus a Persis esset devastata, Zanclaei illi, qui in Sicilia erant, legatos in Joniam dimiserunt, qui homines Jonios in oppidum Siculum Calactam, civitatem Joniam ibi condituros advocarent. Quam quidem invitationem sequuti sunt soli Samii atque ex Milesiis homines illi, qui patriae calamitatem aufugerant. Interim mira quaedam res intervenit. Samii enim, dum Siciliam petunt, in Locris erant Epizephyriis; et Zanclaei cum rege ipsorum, cui nomen erat Scythas, urbem aliquam Siciliae obsidebant, cuius expugnandae cupidi erant. Ea re cognita, Anaxilaus Rhegii tyrannus, infensus tunc Zanclaeis, cum Samiis egit, monens eos, omittendam esse, quam peterent, Calactam, occupandamque Zanclam viris vacuam. Atque Samii dicto audientes Zanclam tenuere. Zanclaei, ut occupatam suam urbem audivere, ad opem ferendam accurrunt, advocato etiam Hippocrate, Gelae tyranno, quocum illis societas erat. At Hippocrates, postquam cum exercitu tanquam opem illis laturus advenit, ipse Scytham Zanclaeorum regem, qui urbem amiserat, fratremque eius Pythogenem, compedibus vinctos in oppidum Inycum misit; reliquos autem Zanclaeos, foedore cum Samiis inito et fide data acceptaque prodidit. Merces ei a Samiis haec erat stipulata, ut omnium, quae moveri possent mancipiorumque, quae in urbe essent, dimidiam partem Hippocrates acciperet, quae vero in agris essent, ea cuncta sortiretur. Igitur Zanclaeorum plerosque ipse mancipiorum loco in vinculis habuit, eminentiores autem illorum trecentos Samiis tradidit interficiendos: at ab hac quidem culpa Samii abstinuerunt. Scythas vero, Zanclaeo-

rum rex, ex Inyco Hymeram profugit, indeque in Asiam profectus ad regem Darium adscendit. Ita quidem ille. Cf. Thucyd. lib. VI. c. 4. Constat autem, Samios urbem Zanclam expugnasse Ol. LXX. 1. Inde sequitur, non multo post id tempus Scytham, expulsum illum Zanclaeorum regem, in Persas advenisse.

Huius igitur Scythae filius Cadmus erat, quem supra commemorare incepi. Qui cum imperium insulae Co, quam patri Cadmo rex Persarum dono attribuerat, accepisset: regnare noluit et singulari liberalitate civibus Cois libertatem rei publicae restituit. Quo facto ad Samios profectus est, quibuscum urbem Zanclam obtinuit et aliquamdiu incoluit. Atque fieri potuit, ut Samii Cadmo, quippe qui a priscis Zanclae tyrannis originem duceret, prae ceteris civibus auctoritatem quandam esse paterentur. Rem enarravit Herodotus lib. VII. c. 164. *Ὁ δὲ Κάδμος οὗτος, πρότερον τουτέων παραδεξάμενος παρὰ πατρὸς τὴν τυραννίδα Κώων εὖ βεβηκυῖαν, ἑκών τε εἶναι, καὶ δεινοῦ ἐπιόντος οὐδενὸς, ἀλλὰ ἀπὸ δικαιοσύνης, ἐς μέσον Κώοισι καταθεὶς τὴν ἀρχὴν, οἴχετο εἰς Σικελίην. ἔνθα μετὰ Σαμίων ἔσχε τε καὶ κατοίκησε πόλιν Ζάγκλην.*

Cum Cadmo autem illo, cuius amicitiam in insula Co sibi conciliasse videtur, Epicharmus in Siciliam et quidem in urbem Zanclam pervenit. Quod quidem iter Suidas significavit hisce verbis: *τινὲς δὲ αὐτὸν Κῷον ἀνέγραψαν τῶν μετὰ Κάδμου εἰς Σικελίαν μετοικησάντων.* Quamdiu vero Samii cumque iis Cadmus et Epicharmus Zanclae permanserint: id aliquatenus tantum Thucydides, certius vero Diodorus Siculus enarravit. Thucydides enim, cum

lib. VI. c. 4. Siculos a Samiis ex urbe Zancla expulsos esse dixerit: ita narratione non interpellata pergit: *τοὺς δὲ Σαμίους Ἀναξίλας Ῥηγίνων τύραννος οὐ πολλῷ ὕστερον ἐκβαλὼν καὶ τὴν πόλιν αὐτοῖς συμμίκτων ἀνθρώπων οἰκίσας.* Quod tempus verbis *οὐ πολλῷ ὕστερον* Thucydides minus finite indicavit, id in quem annum inciderit, e Diodoro lib. XI. c. 48. omnino efficere potes. Is enim Anaxilaum, cum eum duodeviginti annos Zanclaeorum imperium obtinuisse addiderit, Ol. LXXVI. 1. vita defunctum esse tradit. Inde sequitur, ut Anaxilaus urbem Zanclam, cuius nomen in Messenae nomen immutavit, Ol. LXXI. 3. expugnaverit. Cf. Bentley. opusc. p. 233. Cum autem Thucydides l. l. Samios ab Anaxilao expulsos esse, disertis verbis enuntiaverit: eo anno Epicharmus quoque et Cadmus urbem Zanclam reliquisse debebant. Zanclam igitur uterque advenit Ol. LXX. 1. inter et Ol. LXXI. 3. Verum inde expulsi quo migrare inceperunt? Atque Epicharmum illa fere aetate Megaris, neque multo post Epicharmum simul et Cadmum Syracusis degentes deprehendimus. Utrumque igitur Zancla derelicta Ol. LXXI. 3. Megara iter fecisse opinor.

Megaris autem Epicharmus cum Cadmo undecim fere annos permansit. Tantum enim annorum spatium interest Ol. LXXI. 3. et Ol. LXXIIII. annum secundum, quo anno Megaris quoque derelictis Syracusas sedem convertere coactus est. Megaris vero se aliquamdiu vixisse atque inde Syracusas transductum esse, ipse Epicharmus in commentariis suis significaverat, ad quos provocans Diogenes rem his verbis enarravit: *ἀπηνέχθη τῆς Σικελίας εἰς Μέγαρα. ἐντεῦθεν δὲ εἰς Συρακούσας, ὥς φησι καὶ*

αὐτὸς ἐν τοῖς συγγράμμασιν. Inde autem, quod Epicharmus per aliquot annos inter Megarenses fuerat, opinionem auctorum quorundam explicabis, qui teste Suida s. v. Ἐπιχ. Epicharmum Megarensem dixerunt. ἄλλοι δὲ τῶν ἐν Σικελίᾳ Μεγαρέων.

Quod Ol. LXXIIII. 2. Epicharmum Syracusas emigrasse modó dixi: id quidem tempus nemo veterum auctorum disertis verbis indicavit. Neque adeo causam, cur is sedem suam pristinam reliquerit, significasse quenquam video. Verum utrumque satis definire non est difficile. Cum enim haec duo demonstrari queant, ipsam Megarensium rempublicam Ol. LXXIIII. 2. omnino esse deletam, neque multo post huius oppidi cladem Epicharmum Syracusis fuisse: eum Megaris relictis ipso illo excidii tempore Syracusas pervenisse vero est simillimum. Nimirum Megara a Gelone, qui Syracusarum imperium tum obtineret, ad excidium esse redacta tradidit Thucydides lib. VI. c. 4. Sed copiosius paulo rem eandem enarravit Herodotus lib. VI. c. 156: Ὁ δὲ ἐπεί τε παρέλαβε τὰς Συρηκούσας, Γέλης μὲν ἐπικρατέων λόγον ἐλάσσω ἐποιέετο, ἐπιτρέψας αὐτὴν Ἱέρωνι ἀδελφεῷ ἑωυτοῦ· ὁ δὲ τὰς Συρηκούσας ἐκράτυνε, καὶ ἔσαν οἱ πάντα αἱ Συρήκουσαι. αἱ δὲ παραυτίκα ἀνά τ' ἔδραμον καὶ ἀνέβλαστον. τοῦτο μὲν γὰρ, Καμαριναίους ἅπαντας ἐς τὰς Συρηκούσας ἀγαγὼν, πολιήτας ἐποίησε, Καμαρίνης δὲ τὸ ἄστυ κατέσκαψε. τοῦτο δὲ, Γελώων ὑπερημίσεας τῶν ἀστῶν, τὠυτὸ τοῖσι Καμαριναίοισι ἐποίησε. Μεγαρέας τε τοὺς ἐν Σικελίῃ, ὡς πολιορκεύμενοι ἐς ὁμολογίην προσεχώρησαν, τοὺς μὲν αὐτέων παχέας, ἀειραμένους τε πόλεμον αὐτῷ καὶ προσδοκέοντας ἀπολέεσθαι διὰ τοῦτο, ἄγων ἐς τὰς Συρηκούσας, πολιήτας ἐποίησε·

τὸν δὲ δῆμον τῶν Μεγαρέων οὐκ ἐόντα μεταίτιον τοῦ πολέμου τούτου οὐδὲ προςδεκόμενον κακὸν οὐδὲν πείσεσθαι, ἀγαγὼν καὶ τούτους ἐς τὰς Συρηκούσας, ἀπέδοτο ἐπ' ἐξαγωγῇ ἐκ Σικελίης. Ex ea autem narratione hoc sequitur, Gelonem statim post, quam imperium Syracusarum obtinere incepisset, Megarensibus et bellum intulisse et eorum civitatem dissolvisse. Atque inter παχέας istos, quos in Syracusiorum civitatem esse receptos refert Herodotus, haud dubie Epicharmus quoque et Cadmus amicus erant. Utrumque enim inde a Megarorum excidio in aula Gelonis versantem et tyranni istius amicitia fruentem deprehendimus. Itaque cum duobus annis post Xerxes cum copiis immensis advectus Graeciae bellum intulisset: Cadmus a Gelone missus atque rebus gravissimi momenti mandatis, Delphos iter instituit. Audi Herod. lib. VII. c. 163. Ἐπεί τε γὰρ τάχιστα ἐπύθετο τὸν Πέρσην διαβεβηκότα τὸν Ἑλλήσποντον, πέμπει πεντηκοντέροισι τρισὶ Κάδμον τὸν Σκύθεω ἄνδρα Κῷον ἐς Δελφοὺς ἔχοντα χρήματα πολλὰ καὶ φιλίους λόγους παραδοκήσοντα τὴν μάχην, ᾗ πεσέεται· καὶ ἢν μὲν ὁ βάρβαρος νικᾷ, τά τε χρήματα αὐτῷ διδόναι, καὶ γῆν τε καὶ ὕδωρ τῶν ἄρχει ὁ Γέλων· ἢν δὲ οἱ Ἕλληνες, ὀπίσω ἀπάγειν. Epicharmum vero certe post Megarorum excidium apud Gelonem et postea apud Hieronem Syracusis vixisse, e testimonio Diogenis Laert. supra allato ita sequitur, ut omnis demonstratio superflua sit. In urbe enim deleta eum permansisse non erit, qui concedat.

Haec tantum reliqua est quaestio, in quodnam tempus Megarensium clades illa inciderit. Id autem e testimonio Thucydidis, qui rem eam accurate

satis consignavit, certissima ratione effici potest. Namque ait ille lib. VI. c. 4., inde a condita urbe Megarensium usque ad eius excidium praeterlapsos esse annos CCXLV. *καὶ ἔτη οἰκήσαντες πέντε καὶ τεσσαράκοντα καὶ διηκόσια ὑπὸ Γέλωνος τυράννου Συρακοσίων ἀνέστησαν ἐκ τῆς πόλεως καὶ χώρας.* Idem vero eodem loco, Megara et Leontinos urbes uno eodemque tempore conditas esse refert. Leontinorum autem urbem quinque annis post conditas Syracusas extitisse tradidit eodem libro c. 3. Atque Syracusarum originem in Ol. XI. 4. omnes fere posuerunt. Cf. Goeller. de situ et orig. Syrac. p. 3. Megarorum igitur origo in Ol. XIII. 1. inciderit necesse est. Cui quidem tempori cum annos illos CCXLV. addideris: Megarensium civitatem Ol. LXXIV. 2. extinctam esse videbis. Cf. Poppo ad Thucyd. tom. II. p. 579. in tabulis chronolog. Goeller. l. l. p. 10.

Neque modo dictis non congruum est Herodoti testimonium, qui loco supra laudato rebus illis, quas primas Gelo Syracusarum imperium adeptus perfecisset, Megarorum expugnationem adnumeravit. Plurimi enim eorum, qui tempora conscripserunt, Gelonem Ol. LXXIII. 4. Syracusarum potitum esse docent. Cf. Poppo. l. l. Sed, ecce, duobus annis post i. e. Ol. LXXIV. 1. excidium Megarorum est consecutum. Neque enim audiendi sunt Scaliger et Bentleius, qui cum testimonio auctor. marm. Arund. repudiato initium imperii Gelonis multo altius posuissent, eum non septem sed septendecim annos imperium Syracusarum obtinuisse coniecerunt. Eorum enim sententiae e diametro repugnat Diodorus Siculus, qui lib. XI. c. 38. disertis ver-

bis, Gelonem ἑπταέτῃ βασιλείαν Hieroni fratri tradidisse refert. Atque Hiero, si fides est habenda auctori marm. Arund., Syracusis regnare incepit Ol. LXXV. 3. Gelo igitur non prius quam Ol. LXXIII. 4. imperium obtinere potuit.

Hoc autem temporis spatium, quod Ol. LXXI. 1. inter atque Ol. LXXIV. 2. est interiectum, si Doriensium comoediae historiam spectes, momenti est gravissimi. Eam enim illo tempore excolere et perficere primus Epicharmus incepit. Neque locus, quo comoediae illa immutatio contigit, alius nisi Sicula Megara esse poterant. Ibi enim tum Epicharmus vitam degebat. Inde F. A. Wolfius iam ante Gelonis imperium Epicharmum comoedias conscripsisse opinabatur. Verba hominis sagacissimi, quae sunt prolegg. p. LXIX., huc apponam. *Utrumque sc. Chionidem et Magnetem pluribus annis praegressa est comoedia Graecorum Siciliensium, ab Epicharmo, si nutus veterum recte assequor, perscripta iam ante Gelonis tyrannidem.* Atque verissime eum esse effatum, multis argumentis iisque certissimis demonstrari potest. Locus igitur, qui maxime huc pertinet, apud Aristotelem est poet. III. 5. διὸ καὶ ἀντιποιοῦνται τῆς τε τραγῳδίας καὶ τῆς κωμῳδίας οἱ Δωριεῖς. τῆς μὲν κωμῳδίας οἱ Μεγαρεῖς οἵ τε ἐνταῦθα ὡς ἐπὶ τῆς παρ᾽ αὐτοῖς δημοκρατίας γενομένης, καὶ οἱ ἐκ Σικελίας· ἐκεῖθεν γὰρ ἦν Ἐπίχαρμος ὁ ποιητὴς, πολλῷ πρότερος ὢν Χιωνίδος καὶ Μάγνητος. Atque cur prae reliquis Siculis, uti Syracusanis, apud quos comoedia laetissime floruit, ipsi Megarenses comoediam inventam sibi vindicarent: de ea re p. 14. seqq. copiosius disputavi. Namque illi primi priscum quoddam lu-

dicrorum genus ex Attica metropoli ad se transtulerant, atque inde cum reliquis Siculis communicaverant. At insuper iis adversabantur Athenienses, qui se primos comoediam artificiosius excultam habuisse contenderent. Eos igitur, ut refutarent, ad Epicharmum suum Megarenses Siculi provocabant. Quod facere omnino non potuissent, ni apud eos ipsos prisca illa et rudia spectacula in comoediam artificiosiorem immutare Epicharmus primum incepisset. Apud eos autem quonam anno Epicharmus primam suam fabulam ediderit, non certissima quidem ratione indicavit Aristoteles; verum idem satis indiciorum suppeditavit, unde aliquatenus certe tempus istud definias. Ait enim: *πολλῷ πρότερος ὢν Χιωνίδος καὶ Μάγνητος.* Quibus in verbis hoc maxime est tenendum, quod ipse sententiae totius nexus suadet, vocabulo *ὢν* neque diem natalem Epicharmi neque eius vitam in universum, sed tempus, quo primam fabulam suam ediderit, esse intelligendum. Chionides autem, cum eo enim Aristoteles Epicharmum composuit, quando primam comoediam suam ad lucem protulerit: definite satis declaravit Suidas s. v. *Χιωνίδης, Ἀθηναῖος κωμικός, τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας· ὃν καὶ λέγουσι πρωταγωνιστὴν γενέσθαι τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας. διδάσκειν δὲ ἔτεσιν ὀκτὼ πρὸ τῶν Περσικῶν.* Eadem invenies apud Eudociam p. 436. Quorum de aetate Chionidis opinio si vera est: Chionides Ol. LXXII. 4. sive mavis Ol. LXXIII. 1. primum fabulas docuit. Id vero tempus ad primas, quas Chionides docuerit, fabulas esse referendum ex eo intelligitur, quod teste Suida l. l. illi ipsi, qui Chionidem veteris comoediae *πρωταγωνιστὴν* facere

studebant, tempore isto fabulas eius esse editas indicarunt. Hi enim, quo sententiam suam firmarent, primarum profecto, non autem sequentium sive ultimarum Chionidis fabularum tempora definire debebant.

Quodsi cum illis statuimus, primam Chionidis fabulam Ol. LXXIII. 1. ad lucem prodiisse, neque Epicharmum prius quam Ol. LXXI. 1., quo demum anno Megara pervenerit, fabulas edere potuisse: e verbis Aristotelis πολλῷ πρότερος Χιωνίδου hoc consequitur; ab Epicharmo Ol. LXXI. inter et Ol. LXXIII. primam comoediam Megaris esse editam. Cum autem Chionide *longe* priorem (πολλῷ πρότερον) Epicharmum fuisse dixerit Aristoteles: illum statim postquam Megara advenisset i. e. Ol. LXXI. 1., ad primam suam fabulam edendam accessisse arbitror. Ut inter editionem primae Epicharmeae comoediae atque inter primam Chionidis fabulam duarum Olympiadum spatium interiaceat. Cui quidem temporis intervallo Aristotelis verba πολλῷ πρότερον non quadrare nemo opinabitur.

Neque sententiae nostrae repugnant ea, quae Suidas s. v. de aetate Magnetis refert. Qui, licet Aristoteles l. l. eum Chionidis aequalem fuisse significaverit, aetate tamen Chionidis paulo minor fuisse videtur. Ita enim Suidas s. v. *Μάγνης*, *Ἀθηναῖος κωμικός, ἐπιβάλλει δ' Ἐπιχάρμῳ νέος πρεσβύτῃ*. Is autem aetate maximus ante Ol. LXXXVIII. 4. vita decessit. De morte enim Magnetis sermo est in Aristoph. equit. v. 517, quae comoedia acta est Ol. LXXXVIII. 4. Quodsi cum Meineckio in quaest. scaen. p. 10. Magnetem Ol. LXXXVIII. 1. mortuum esse concedo: natales eius

incidunt in Ol. LXVIII. sive LXVII. Cum enim Aristophanes l. l. de senectute Magnetis sermocinatus sit: eum octoginta circiter annos vitam egisse opinor. Iam ponas eum ad annum aetatis suae trigesimum fere sive quadragesimum pervenisse, cum primam suam fabulam ederet: id circa Ol. LXXVI. factum esse videbis. Ea igitur aetate cum Magnes plus paulo quam triginta annos esset natus, Epicharmus iam amplius quam sexaginta annos vitam produxerat. Inde factum est, ut Suidas Magnetem, virum iuvenem cum sene Epicharmo componeret. Utrumque autem, si Suidae rationes sequimur, medius intercessisse videtur Chionides.

Iam quod Chionidem Ol. LXXII. 4. et Magnetem sub Ol. LXXVI. primas suas fabulas edidisse contendi; id a nonnullis improbatum iri scio. Maxime autem mihi adversantem video Meinekium, qui in quaest. scaen. p. 8. seqq. utrumque poetam circa Ol. LXXX. floruisse, et Euetem et Euxenidem et Myllum triginta fere annis ante illos comoedias edidisse censet. Quae opinio si vera est: corruit omnis mea argumentatio, qua Epicharmum iam Ol. LXXI. fabulas docuisse demonstravi. Faciam igitur, ut hoc quoque impedimentum removeam. Itaque haec duo ego contendo, quinque poetas illos tempore fere aequales fuisse, et ipsum Chionidem primum inter eos comoediam Athenis docuisse. Auctores autem, quos solos in aetate quinque illorum poetarum definienda sequi debemus, sunt Aristoteles l. l. et Suidas et, quae Suidam sequitur, Eudocia et anonymus apud Kuster. Aristoph. p. XII. Diomedis enim lib. III. p. 486., cum non quidem falsa sed minus finita et iusto breviora

referat, vix rationem habebis. Illorum autem testimonia si comparaveris: duo, de quibus omnino consentiunt, esse videbis. Nimirum omnibus illis Epicharmum et aetate et fabulis docendis paulo superiorem fuisse, tum ipsos illos iam sub Ol. LXXIII—LXXV. Athenis fabulas edidisse. At Meinekius cum Suidae indicia repudiaverit, unius Aristotelis testimonium verum esse arbitratur. Quod quidem ipsum ita est comparatum, ut contra illum faciat. Nimirum docuit illo loco Aristoteles, a quonam poeta, et in qua urbe primum comoedia esset inventa, atque hanc sibi gloriam et Dorienses et Athenienses vindicasse simul apposuit. Verba eius haec sunt poet. III. 5. διὸ καὶ ἀντιποιοῦνται τῆς τε τραγῳδίας καὶ τῆς κωμῳδίας οἱ Δωριεῖς. τῆς μὲν κωμῳδίας οἱ Μεγαρεῖς οἵ τε ἐντεῦθα ὡς ἐπὶ τῆς παρ᾽ αὐτοῖς δημοκρατίας γενομένης καὶ οἱ ἐκ Σικελίας. ἐκεῖθεν γὰρ ἦν Ἐπίχαρμος ὁ ποιητὴς πολλῷ πρότερος ὢν Χιωνίδος καὶ Μάγνητος. κ. τ. λ. Fuisse autem Athenis quoque nonnullos, qui cives suos comoediam perfectiorem primos excoluisse confirmarent: id sequitur omnino e verbis Suidae s. v. Χιωνίδης. ὃν καὶ λέγουσι, πρωταγωνιστὴν γενέσθαι τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας. Utrique igitur et Dorienses et Athenienses, ut gloriam inventae comoediae sibi vindicare possent, ad illum poetam suum provocare debebant, qui primus comoediam ad artis praecepta magis conformatam edidisset. Nam Athenienses, cum prima comoediae initia apud Megarenses Atticos extitissent, ad Susarionem suum frustra provocasse, iam supra p. 12. ostendi. Itaque eum fuisse Epicharmum Dorienses, Athenienses autem Chionidem suum gloriabantur. Quam

quidem litem Aristoteles haud dubio l. l. significavit: alioquin verba illa πολλῷ πρότερος Χιωνίδου omnino non apposuisset. Quod nisi Chionides primus inter poetas Athenienses iustas fabulas edere incepisset: profecto neque Suidas l. l. Chionidem πρωταγωνιστὴν τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας dixisset, neque Aristoteles Chionidem cum Epicharmo componere potuisset. Aristoteles enim, cum gloriam inventae comoediae Doriensibus adiudicare vellet, ad Epicharmum eos provocare testatur et simul hoc apponit, eum priorem fuisse Chionide, quem primum Athenis iustam fabulam edidisse sciret. In his autem rebus gravissima est Aristotelis auctoritas, ut Meineckii verbis utar, qui cum ipse didascaliarum libros condiderit, eiusmodi in rebus falli vix potuit. Itaque ex ipsis illis didascaliis bene hoc noverat Aristoteles, Chionidem et, qui paulo post eum prodiit, Magnetem primos Athenis comoedias edidisse.

Omnino igitur cum Aristotele consentit Suidas, qui Chionidem sub Ol. LXXII. 4. reliquos autem, uti Myllum, Euetem, Euxenidem Ol. LXXIII. 2. fabulas docuisse tradit. Neque enim, utrum tres illi poetae, quos posteriores posui, fabulas suas scriptis mandaverint, diiudicare huc attinet. At Magnetem, ita aliquis contra dicere queat, praetermissis omnino Myllo et Euete et Euxenide cum Chionide coniunxit Aristoteles. Atque illos inter Chionidem et Magnetem esse interponendos, siquidem illos Ol. LXXIII. 2. comoedias docuisse Suidas confirmaverit: Magnetem circa Ol. LXXVI. demum fabulas edere incepisse ipse supra statuerim. Verum cur antiquissimorum comoediae poeta-

rum indicem tam brevem adumbraverit Aristoteles, ut tres illos medios omnino omitteret: eius rei causa facile deprehenditur. Nimirum arte sua Chionides atque Magnes tribus istis longe praestabant. Quod iam ex eo aliquis colligere possit, quod, cum de Chionide et Magnete antiqui cum laude aliqua iudicaverint, de Myllo, Euete et Euxenide ipsis paucissima tantum, de fabulis nulla prorsus indicia neque earum adeo nomina supersunt. Cf. Meineckii. q. sc. p. 8. seqq. Bene igitur et prudenter fecit Aristoteles, qui, cum in controversia illa de inventa et perfecta comoedia Athenienses causam suam agentes faceret, praetermissis tenebrionibus istis ad praestantiores tantum illius aevi poetas provocaret. Eandem autem rationem, in aetate horum poetarum definienda sequutum esse scias Wolfium in proll. p. LXIX. Neque, quod Chionidem primum poetarum comicorum ego posui, eo refutatur, quod Meineckius l. l. provocavit ad fabulam Chionidis non genuinam *οἱ πτωχοι*, qua Gnesippus Cratini aequalis commemoratus esset. Eam enim fabulam non ab ipso Chionide sed ab alio conscriptam fuisse repetita vice testatur Athenaeus XIV. p. 638. a. et IV. p. 137. e.

Cum iis autem, quae hactenus disputavi, testimonium anonymi apud Kuster. p. XII., licet id minus definite sit perscriptum, aliquatenus tamen congruere videbis. Eius enim haec sunt verba: *Ἐπίχαρμος, χρόνοις δὲ γέγονε κατὰ τὴν ογ᾽ Ὀλυμπιάδα.* Nimirum is, cum Epicharmi aetatem aliquatenus tantum designare vellet: annum, quo primum ille suam fabulam ediderit, accurate describere non debebat. Itaque huic anonymi testimonio non re-

pugnat sententia, Epicharmum iam ante Ol. LXXIII. ad comoediam expoliendam accessisse. Neque aliter interpretaberis Suidae testimonium, qui s. v. *Επιχ.* huius poetae aetatem ad Ol. LXXIII. retulit. *ἦν δὲ πρὸ τῶν Περσικῶν ἔτη ἕξ, διδάσκων ἐν Συρακούσαις. ἐν δὲ Ἀθήναις Εὐέτης καὶ Εὐξενίδης καὶ Μύλλος ἐπεδείκνυντο.* Cum enim bellorum Persicorum initio adventum Xerxis, qui in Ol. LXXV. 1. incidit, vulgo intelligerent: Suidam Ol. LXXIII. 2., quo tempore Epicharmus fabulas ediderit, posuisse manifestum est. In qua re id tantum falso sive paulo negligentius indicavit Suidas, quod iam illo tempore Syracusis Epicharmum fabulas docentem fecit. Id enim ante Ol. LXXIV. 1. fieri vix potuisse supra demonstravi.

Suidas vero, cum Ol. LXIII. 2. Epicharmum fabulas docuisse traderet: idem tamen prima huius poetae specimina aliquot annis ante tempus illud fuisse exhibita non negavit. Quinimo eius rei argumentum ex alio quodam Suidae loco repeti potest. Ita enim ille s. v. *Δημόλοχος Συρακούσιος ἢ Ἀκραγαντῖνος. ἦν δὲ ἐπὶ τῆς ογ' Ὀλυμπιάδος. υἱὸς Ἐπιχάρμου, ὡς δέ τινες, μαθητής. ἐδίδαξε δράματα ιδ' Δωρίδι διαλέκτῳ.* Vides, Dinolochum Epicharmi filium, sive quod vero magis accedit, discipulum dici. Iam vero Suidas, postquam Dinolochum Ol. LXXIII. vixisse indicavit, eum tredecim comoedias conscripsisse simul apposuit. Epicharmus igitur iam ante Ol. LXXIII. scriptis suis comoediis tantam gloriam assecutus esse debebat, ut, qui artem ab eo addiscerent, discipuli ad eum accederent. Qnod ni verum esset, Dinolochus Epicharmi discipulus dici omnino non potuisset.

Sed mittamus tandem obscuros istos Chionidem, Myllum et ceteros, atque ad unum nostrum revertamur. Qui cum Ol. LXXI. inter et Ol. LXXIV. Megaris fabulas docere incepisset: quasnam ille Megaris, quasnam postea Syracusis ediderit fabulas, forsitan aliquis ex me quaesiverit. Sed de hac re, cum certa veterum indicia prorsus desint, coniecturae tantum proferri possunt. Itaque non multum abest, quin hoc statuam, primas Epicharmi fabulas, cum proxime ad Megarensium ludicrorum indolem accederent, in argumentis mythologicis iculariter traducendis positas fuisse. Forsitan igitur Busiris eius et Vulcanus et Hebae nuptiae aliaeque similes hic ad lucem prodierint. Fuisse autem inter illas Epicharmi comoedias, quibus mores et ingenia hominum riderentur, nonnullas, quae in urbe Megarensium primum fuerint exhibitae: id hoc argumento comprobare mihi videor. Nimirum erat inter fabulas eius una, cui titulus *Μεγαρὶς* erat, quaque mulierum Megarensium mores ad risum captandum propinabantur. Cf. Athen. lib. VII. p. 286. d. Jam quis est, qui non concedat, fabulam eiusmodi Megaris ipsis potius, quam Syracusis editam fuisse? Sed alterum illud comoediarum genus, quae sententiis philosophicis admodum insignes erant, Epicharmus aetate provectior et Syracusis degens excoluisse videtur, tum quod ipsa senectus homines ad severitatem quandam proclives facit, tum quod fabulas eiusmodi Syracusis sub Hieronis imperio Epicharmum docuisse testatur Jamblichus in vita Pythag. c. 36.

Itaque Epicharmus, postquam fabulis edendis iam inter Megarenses non parum innotuisset: op-

pido isto Ol. LXXIV. 2., deleto a Gelone Syracusas est traductus. Neque enim ante tempus istud Epicharmum Megaris abiisse veterum scriptorum ullus satis certe significavit: neque causa idonea, cur id fecerit, excogitari potest. Hoc est vero certissimum, inde ab illo tempore usque ad mortem suam per octo fere Olympiades Epicharmum continenter Syracusis permansisse. In qua re plurimorum hominum morem est sequutus, qui ubi dulcissime et gloriosissime vitam degere possunt, ibi libentissime commorari solent. Neque enim usquam tam idonea ingenii ostentandi opportunitas, quam Syracusis Epicharmo offerebatur, neque hominum litteratorum et artificum coetus, quem ad aulam suam Gelo atque Hiero convocaverant, Epicharmum quam maxime delectare non debebant. Is autem cum Syracusis diutissime vixisset, a plerisque veterum scriptoribus aut omnino Syracusius aut certe homo Siculus dicebatur. Cf. Arist. poet. III. 3. Theocrit. epigr. XV. Diogen. Laert. vit. Epich., Themist. or. XIX. Athen. lib. VIII. p. 362. d. XV. p. 698. c. Columella de re rust. I. 1., 8. VII. 3., 6. Hyginus fab. 277. Cedren. hist. p. 143. aliique.

Atque Syracusas iam sedem suam fortasse transtulerat Epicharmus, quum in litteris complendis et novis inveniendis operam suam ponere cum Simonide inciperet. Nimirum hoc e nonnullis veterum testimoniis consequitur, usque ad bellorum Persicorum initia graecas litteras sedecim tantummodo illas fuisse, quas nunc Cadmeas dicere consuevimus. Quae reliquae sunt octo, ϑ, φ, χ, ζ, ξ, ψ, η, ω, eas ab Epicharmo et Simonide inventas esse

tradunt. Hunc enim litterarum ab iis inventarum numerum ex hisce testimoniis conficere poteris. Cf. Plin. hist. nat. VII. 57. Villoison. anecd. graec. II. p. 187. Hygin. fab. 277. Cedren. hist. comp. p. 143. Verum cum iam in antiquissimis monumentis quatuor illae litterae ϑ, φ, χ, ζ inscriptae reperiantur omnino audiendus est Plutarchus, qui symp. IX. 3. 2. ad sedecim illas Cadmeas litteras, primum Palamedem quatuor et deinde Simonidem quatuor addidisse testatur. *Παλαμήδης δὲ πρότερος τέτταρα καὶ Σιμωνίδης ἄλλα τοσαῦτα προςέθηκεν.* Atque cum Plutarcho quodammodo congruit grammaticus apud Beck. anecd. II. p. 782. l. 29., qui litteras aspiratas et ζ vel a Palamede vel ab Epicharmo inventas esse refert. Vides igitur, hoc esse certissimum, antiquissimis iam temporibus, ea enim Palamede designabant, litteras illas quatuor innotuisse. Cf. Mathiae Gram. Gr. p. 9. Quis autem reliquas quatuor invenerit: id, cum eas alii scriptores ad Epicharmum solum, alii ad Epicharmum et Simonidem referant, e testimonio Plutarchi non liquet. Cf. Hygin. l. l. Tzetz. chiliad. XII. p. 398. Cedren. hist. l. l. Quorum quidem auctorum discrepantias si dissolvere velis, ita fere sit statuendum, ut litteras ξ et ψ Epicharmum, η et ω Simonidem inventorem habere dicas. Cf. Funccius de scriptura veterum p. 30. Quanquam de re tam dubia neque certam sententiam ego proferam, neque iis, qui mediam quandam rationem sequuntur, et Epicharmum cum Simonide commune studium suum ad litterarum numerum complendum contulisse dicunt, repugnare audeam. Cf. Goens. de Simonide IV. 1. Wolf. prolegg. p. LXII. seqq. Mongitor. bibl. Sic. p. 181.

Multa insuper faciunt, ut qui et philosophiae et arti scaenicae et medicinae et rebus grammaticis operam dederit: eius eruditionem multifariam et admirabilem paene fuisse existimem. Itaque apud veteres extabant scripta eius argumenti diversissimi. Quale est, quod Plutarchus in vita Numae c. 9., ubi Pythagoram a Romanis civitate donatum esse ostendere studet, ad Epicharmi de ea re testimonium provocavit. Haec sunt verba eius: ὡς λέγει ὁ κωμικὸς Ἐπίχαρμος ἐν λόγῳ τινὶ πρὸς Ἀντήνορα γεγραμμένῳ. Qualia vero hoc ad Antenorem scripto libello pertractaverit Epicharmus, non facile diiudicabis. Incertum est enim, utrum in eo de solo Pythagora praeceptore suo disputaverit, an in universum de vitis philosophorum aliisve rebus sermonem fecerit. Neque aliam insuper Epicharmi commentationem hoc loco silentio praetermittere licet. Mongitorius enim in biblioth. Sic. p. 183. Epicharmi scriptum de devinatione somniorum, unde veteres multa hausissent, fuisse testatur. Eiusmodi autem Epicharmi libellum fuisse ut ille statueret, effecit Tertulliani indicium in libro de anima p. 565. a. ed. Paris. Is enim ibi cum de divinationibus, quae per somnum animo humano accedere soleant, sermocinari inceperit: hanc suam opinionem veterum quorundam sententiis confirmare studet. Atque ad eos his fere verbis provocavit: *Quanti autem commentatores et affirmatores in hanc rem Artemon, Antiphon, Strato, Philochorus, Epicharmus, Serapion, tota seculi litteratura.* Verum cum duo illa vocabula *commentatores* et *affirmatores* tum ad eos referat, qui peculiares de somniorum divinatione libellos conscripserant, tum ad illos, qui

in scriptis suis hic et illic de divinatione eiusmodi sententias protulerant: incertum est, utris Epicharmum adnumeraverit.

Iam vero causas explicare facillimum est, quibus adductus Gelo Epicharmum viris principibus adiunxerit secumque Syracusas traduxerit. Nimirum regis singularem amicitiam sive adeo observantiam in Epicharmum efficere debebat eximia eius ars atque eruditio. Neque dubitare licet, quin Gelo Epicharmum in suam ipsius aulam receperit eumque insigni sua benevolentia foverit: siquidem idem rex Phormidem, qui simul cum Epicharmo comoediam excoluisse dicitur, familiarem sibi atque adeo liberorum suorum praeceptorem fecit. Cf. Suid. s. v. *Φόρμος*. Verum ad sententiam hanc confirmandam hoc quoque accedit, quod Epicharmum mortuo Gelone, ad Hieronis familiares receptum deprehendimus. Hiero enim, cum omne artificum et hominum litteratorum genus fovere atque adeo clarissimos Syracusas traducere studeret, Epicharmo in aulicorum numerum recepto mirum quantum delectari debebat. Videlicet is erat prae ceteris hominibus aulicis et admirabilis ob artem egregiam et insigni sua sapientia venerabilis. Hinc fortasse factum est, ut princeps iste, licet natura sua ad saevitiam quandam proclivis esset, Epicharmum tamen incredibili lenitate tractaret. Huc autem pertinent duo, quas de Epicharmi et Hieronis consuetudine, narratiunculas attulit Plutarchus. Ita enim ille apopth. p. 669. R. *Ἱέρωνος ἀπόφθεγμα ε΄. Ἐπίχαρμον δὲ τὸν κωμῳδοποιὸν ὅτι τῆς γυναικὸς αὐτοῦ παρούσης εἶπέ τι τῶν ἀπρεπῶν, ἐζημίωσε.* Vixit igitur Epicharmus inter ipsam re-

gis familiam, et quod vulgo familiarissimi homines tantum sibi licere opinantur, iocos petulantiores coram ea pronuntiare non dubitavit. Quodsi ob indecora quaedam Epicharmum Hiero fortasse vituperio aliquo castigavit: hoc factum esse scias, propterea quod in reginae verecundiam, iusto nimium poeta offendisse videtur. Rex vero ipse non tantum iocos procacissimos, verum etiam vehementissima Epicharmi dicteria admittebat. Cuius rei luculentum exemplum habes in altera illa Plutarchi historiuncula, quae extat in commentatione eius de discern. am. p. 68. ed. Reisk. Ἐπίχαρμος δὲ οὐκ ὀρθῶς τοῦ Ἱέρωνος ἀνελόντος ἐνίους τῶν συνήθων καὶ μεθ' ἡμέρας ὀλίγας καλέσαντος ἐπὶ δεῖπνον αὐτόν· Ἀλλὰ πρώην, ἔφη, θύων τοὺς φίλους οὐκ ἐκάλεσας. Quantopere igitur is, qui ad regem tam saevum ita vociferari auderet, cum illo in gratia fuerit, nemo non intelligit. Neque privatim tantum Epicharmus in reges vituperia effudit: verum etiam publice vitia eorum aliquando castigasse videtur. Hoc enim e scholiastae verbis ad Pind. Pyth. I. v. 98. adpositis consequitur: Epicharmum in comoediis aliquot, quae reges atque cives in rebus publicis peccarent, perstrinxisse. Possit etiam aliquis ex eo, quod Jamblichus in vita Pyth. c. 36. Epicharmum a doctrina Pythagorae publice profitenda ob Hieronis tyrannidem abstinuisse tradit, ad aliam delabi coniecturam. Nimirum fuisse inter praecepta illa Pythagorea, quae, cum Hieronis animus aegre audire videretur, in comoediis κρύφα παίζων Epicharmus pronuntiaret, nonnulla quoque, quae ad artem civitatium optima ratione gubernandarum pertinerent.

Vehementer autem dolendum est, paucissima tantum veterum auctorum extare indicia, unde qualis Epicharmi cum regibus istis fuerit societas, quaeque per vitam longissimam res ei contigerint, accuratius cognoscere possis. Praeter allata enim unum tantummodo, quod apud Aelianum var. hist. II. 34. extat, afferre possum. Id autem eo magis apponam, quum ad ultima poetae nostri tempora pertineat, atque historiae, quam de vita eius adumbravi, finem quasi imponat. Ἐπίχαρμόν φασι πάνυ σφόδρα πρεσβύτην ὄντα μετά τινων ἡλικιωτῶν ἐν λέσχῃ καθήμενον, ἐπεὶ ἕκαστος τῶν παρόντων ἔλεγεν· ὁ μέν τις, ἐμοὶ πέντε ἔτη ἀπόχρὴ βιῶναι· ἄλλος δὲ, ἐμοὶ τρία· τρίτου δὲ εἰπόντος, ἐμοίγε τέσσαρα· ὑπολαβὼν ὁ Ἐπίχαρμος· ὦ βέλτιστοι εἶπε, τί στασιάζετε καὶ διαφέρεσθε ὑπὲρ ὀλίγων ἡμερῶν; πάντες γὰρ οἱ συνελθόντες κατά τινα δαίμονα ἐπὶ δυσμαῖς ἐσμεν, ὥστε ὥρα πᾶσιν ἡμῖν τὴν ταχίστην ἀνάγεσθαι πρὸ τοῦ τινος καὶ ἀπολαῦσαι κακοῦ πρεσβυτιδίου. Ita vero sentiens Epicharmus usque ad ultima vitae momenta se genuinum sapientiae Pythagoreae alumnum exhibuit. Aequo enim animo et vitae atque senectutis mala despiciebat, et spe laetissima plenus, fore ut post mortem vita beatissima sibi contingeret, naturae et fato suo cedere nihil dubitavit.

Iam vero Hieronis et Gelonis regum, qui Epicharmum tantopere foverant atque exornaverant, exemplum sequuta est tota Syracusanorum civitas. Quod enim paulo ante ad cohonestandum Pindarum poetam Athenienses fecerant, ut aeneam eius statuam publice extruerent; idem Syracusani decus Epicharmo attribuere non dubitarunt. Huic

autem monumento epigramma simul adscripserunt, quo et honorificum suum de Epicharmo iudicium et gratum in civem animum perpetuae posterorum memoriae traderent. Id autem epigramma servavit Diogenes Laert. lib. VIII. segm. 78., qui de ipsa statua ita verba facit, ut eam Diogenis aetate Syracusis integram adhuc stetisse intelligas. καὶ αὐτῷ ἐπὶ τοῦ ἀνδριάντος ἐπιγέγραπται τάδε·

Εἴ τι παραλλάσσει Φαέθων μέγας ἅλιος ἄστρων,
Καὶ πόντος ποταμῶν μεῖζον ἔχει δύναμιν·
Φημὶ τοσοῦτον ἐγὼ σοφίᾳ προέχειν Ἐπίχαρμον,
Ὃν πατρὶς ἐστεφάνωσ᾽ ἅδε Συρηκοσίων.

Statua igitur grati Syracusani civem suum Epicharmum exornarunt, id enim vocabulo ἐστεφάνωσε significari scias. Quod quidem, cum id genus statuarum plerumque ad veram effigiem effingeretur, vivo adhuc Epicharmo fecisse videntur. Neque epigrammatis istius auctor, qui uti sol reliquis stellis et mare fluminibus praestet, ita Epicharmum prae aequalibus eminere dixit, in laude sua nimius erat. Vocabulo enim σοφίᾳ Epicharmi non tantum in arte scaenica praestantia, verum maxime omne genus doctrinae, quo aequales ad summam sui admirationem proriperet, est intelligendum.

Eandem vero statuam vidisse adhuc Theocritum opinor, cuius lepidum in eam epigramma habemus. Quod uti ad rem eandem cum epigrammate illo Diogeniano pertinet, ita idem fere argumentum exhibet. Extat id autem inter epigrammata Theocritea loco quindecimo:

Ἅ τε φωνὰ Δώριος, χὡ ἀνὴρ ὁ τὰν κωμῳδίαν,
Εὑρὼν Ἐπίχαρμος.

Ὦ Βάκχε, χάλκεόν νιν ἀντ᾽ ἀλαθινοῦ
Τὶν ὧδ᾽ ἀνέθηκαν,
Τοὶ Συρακόσσαις ἐνίδρυνται πελωριστᾷ πόλει
Οἷ᾽ ἀνδρὶ πολίτᾳ,
Σωρὸν γὰρ εἶχε χρημάτων, μεμνάμενοι
Τελεῖν ἐπίχειρα.
Πολλὰ γάρ ποτ᾽ τὰν ζόαν τοῖς παισὶν εἶπε χρήσιμα.
Μεγάλα χάρις αὐτῷ.

Cuius quidem poematis cum alii aliam et lectionem et interpretationem commendare studeant: mihi quoque locos aliquot, de quibus ab aliorum interpretatione dissentiendum esse videtur, explicare liceat. Quod eo magis faciam, cum sententiae meae argumenta ex iis, quae hactenus de vita Epicharmi disputavi, depromere possim.

Primum igitur dubitationem moverunt de lectione vulgata *πελωριστᾷ πόλει*, quae paululum tantum discrepat ab ea, quae in codice Vaticano exhibetur, *πελωρὶς τᾶι πόλει*. Iam vero licet vocabulum *πελωριστὸς*, quantum equidem sciam, alias non facile reperias: extat tamen vocula *πελώριος*, *immensus*, unde illud facillime derivari poterat. Qnae quidem derivatio eo minus te offendet, cum poeta e Doriensibus sit, qui tot tamque varias sermonis sui proprietates exhibent. Id autem vocabulum, cum Syracusarum sit epitheton, Reiskius recte ita est interpretatus, ut eo urbis istius et magnitudinem et magnificentiam indicari diceret. Vides, epithetum eiusmodi ad totius loci sententiam egregie quadrare. Nimirum ab omnibus immensae civitatis incolis Epicharmum statua fuisse exornatum Theocritus significat. Unde multo maiorem illi gloriam contigisse concedes, quam si op-

pidum ignobile sive unus ille Pelorensium vicus statuam eiusmodi posuissent. Congruit autem omnino cum lectione, quam modo commendavi, poema illud, quod testante Diogene Laertio l. l. ipsi statuae inscriptum erat. Eius enim versiculus ultimus hic est:

Ὃν πατρὶς ἐξεφάνωσ᾽ ἅδε Συρηκοσίων.

Sive igitur cum Thyrwitto, qui leni immutatione adhibita πεδωριςῆ legit, sive cum lectione vulgata πελωριςᾶ facis: eadem permanet haec sententia, ab urbe maxima summam gloriam Epicharmo contigisse. Cf. Jacobs. Anthol. vol. I. s. II. p. 203. seqq.

Quapropter, cum lectio vulgata sensum satis probabilem praebeat, admitti nequit coniectura Scaligeri, qui vocabulum πελωριςᾶ in duo πελωρεῖς, τᾶ immutavit, atque Pelorenses, qui in Sicilia consedissent, significari censuit. Verum huic emendationi locum concedi non posse ex altera insuper ratione consequi demonstrabo. Praetermittam enim illud, neque in partes meas convertam, Diogenis testimonio, qui totas Syracusas Epicharmo statuae decus attribuisse ex ipso eius epigrammate refert, e diametro repugnare coniecturam Scaligeri, qua id non ipsi Syracusani sed Pelorenses, vulgus ignobile fecerint. Nam hoc obiicere mihi aliquis possit, epigrammata duo Diogenis et Theocriti ad diversas duo statuas pertinere. Verum, quod multo gravius mihi esse videtur, intelligi omnino nequit, qua ratione Pelorenses, quorum manum exiguam Syracusis consedisse Scaligero, licet huius rei argumentum non attulerit, concedamus, qua ratione inquam illi Epicharmum civem suum dicere potue-

rint. Etenim is, licet iustissime civis Syracusius diceretur, homo Pelorensis tamen utrum a quoquam sit appellatus, vehementer dubito. Aliam etiam, qua Scaligeri coniecturam refutaret, rationem protulit Reiskius, cum eoque Jacobsius commentum istud Scaligeri improbare videtur. Cf. l. l.

Sed lepidam omnino v. 5. Theocritus sententiunculam addidit, Syracusios civi suo Epicharmo, siquidem iam satis divitiarum habuisset, ea quae in promptu fuissent, pro beneficiis in se collatis solvisse. Verum τὰ χρήσιμα illa, quibus accipiendis Syracusii se Epicharmi debitores fecerant, poemata eius sunt sententiis et praeceptis plenissima, quibus omnes ad prudentiam et sapientiam perducerentur. Iam vero incredibile est dictu, quantum in hoc loco offenderint interpretes, quamque miras emendationes ad eum adhibere sint conati. Ita Jacobsius l. l. verba illa τελεῖν ἐπίχειρα suspecta sibi esse indicavit, quoniam de iis dici soleant, qui ut subito grati animi impulsui satisfaciant, quae ad manum sint, persolvant. Id autem de Syracusanis dici non posse, quippe qui non pecunia, sed statua Epicharmum honestaverint. Sed licet verbis τελεῖν ἐπίχειρα eos, qui, quae sunt ad manum sive in promtu, persolvunt, significari cum Jacobsio ponamus: hoc tamen loco non aliud praemii genus, quam, quae posita erat a Syracusiis, statua iis intelligi potest. Itaque prodit sententia toti carmini accommodatissima. Nimirum Syracusanos Epicharmo, ut gratum in eum animum significarent, tantum, quantum pro viribus suis potuissent, persolvisse. Statuam igitur eius, quo dono convenientius ullum excogitari vix

poterat, cum epigrammate in honorem Epicharmi conscripto posuerunt. Haec vero egregie ad ea, quae ipse Theocritus verba apposuit, quadrare videbis. Id enim eos fecisse, quandoquidem Epicharmus divitiarum cumulum habuisset — σωρὸν γὰρ εἶχε χρημάτων —. Nimirum his divitiis — χρήμασι — copiosissima eius doctrina et sapientia significatur, qua factum est, ut quodvis aliud donum non modo ineptum, verum etiam ab Epicharmi animo omnino alienum esse deberet.

Iam vero opum suarum cumulum Epicharmus non avarus servaverat, sed profuderat in cives dona largissima combedens docendis. Ut χρήσιμα illa, quae versu ultimo significantur, ab acervo isto quasi depromta esse videantur. Sed plurimi interpretes, uti Scaliger, Reiskius, Valkenarius, alii verba σωρὸν χρημάτων cum sensu proprio de magnis, quibus Epicharmus floruisset, opibus dici putarent, ad contextum non quadrare videbant, neque esse genuina opinabantur. Alii vero, uti Jacobsius, quibus coniectura eiusmodi iusto audacior, neque tamen necessaria videretur, lectionem codicis Vaticani paulum modo discrepantem σωρὸν ῥημάτων commendare sunt conati. At haec quoque coniectura non esse admittenda mihi videtur, quippe quae prorsus sit superflua et sensum praebeat ad hunc locum minime idoneum. Uti enim dictione illa Platonica ἐσμὸς λόγων, ad quam Jacobsius provocavit, doctrinae summa copia designatur: ita verbis σωρὸς ῥημάτων, cum verborum ubertatem significent, homo garrulus aeque atque orator sive poeta denotari potest. Teneamus igitur vulgatam, quae neque sensu probabili careat,

neque ad totum carminis contextum egregie non quadret.

Sed ut ea, quae hactenus de vita Epicharmi copiosius disputavi, ad brevem quendam conspectum revocem: haec fere prae reliquis eius vitae rebus videntur esse denotanda. Epicharmus in insula Co circa Ol. LX. natus est. Tribus autem mensibus post diem natalem cum patre Elothale, qui medicus erat, in Siciliam atque inde in Italiam profectus est, ubi a patre medicinam, a Pythagora philosophiam didicit. Sed mortuo patre circa Ol. LXVIII., cum Pythagoreorum societas multis calamitatibus premeretur, in insulam patriam revertit. Neque diu tamen ibi est commoratus. Nam Ol. LXX. 1. cum Cadmo, principe viro, qui licet insulae Co imperium a patre Scytha accepisset, civibus libertatem condonaverat, iterum in Siciliam et quidem in urbem Zanclam iter fecit. Inde autem expulsi Ol. LXXI. 3. ambo Sicula Megara concesserunt, ibique usque ad Ol. LXXIII. 2. permanserunt. In illa urbe Epicharmus iam intra Ol. LXXI. comoedias docere incepit. Quae civitas cum Ol. LXXIV. 2. per Gelonem esset extincta: a principe illo Syracusas se transduci passus est, ibique circiter Ol. LXXXII. vita decessit.

III.

DE COMOEDIA EPICHARMEA.

Sunt inter viros doctos, qui, quo tempore Epicharmus comoediam emendare incepisset, complures simul per Siciliam poetas comoediam excoluisse opinentur. Cf. Boekh. de trag. gr. princ. p. 52. Neque profecto eorum opinio a Boekhio omnino explodi debebat. Etenim ad coniecturam hanc ut delaberentur illi, effecit tum praestantia comoediae ab Epicharmo emendatae, qua non esse factum, ut multi eius aemulatores existerent, sibi persuadere vix possent: tum ipsa hominum Siculorum indoles, quos ad omne comoediae genus excolendum maxime fuisse proclives cognovissent. Verum ecce, habemus Suidae locum, qui quidem, ut pleraque fere Suidae excerpta, non satis sit perspicuus, sed tamen ad virorum istorum coniecturam probandam non parum facere videatur. Ita enim ille s. v. ἐν πέντε κριτῶν γόνασι. παρ' ὅσον τὸ παλαιὸν ε' κριταὶ ἔκρινον τοὺς κωμικοὺς, ὥς φησιν Ἐπίχαρμος. Vides iam antiquitus fuisse apud Siculos iudices quosdam, qui de poetis comoedias certatim edentibus iudicia ferre consueverint. Namque de Siculis certe iudicibus in comoedia aliqua verba fecit Epicharmus, quippe qui, cum ipse coram hominibus Siculis fabulas ederet, ad Siculorum tantum instituta alludere posset. Atque hoc

est omnino concedendum, ubi poetae fabulis concertare incepissent, eorumque arbitrium ad certos quosdam iudices esset delatum: ibi artem scaenicam iam ita fuisse divulgatam, ut non ab uno alterove, sed a multis simul auctoribus excoleretur. Vix igitur Phormidem illum et Dinolochum, quorum nomina scriptores antiqui fortuito servavere, unicos, qui cum Epicharmo contenderent, comoediae poetas fuisse quisquam opinabitur. Quin imo parum abest, quin statuam illam, quam a Syracusanis Epicharmo positam esse commemorat Diog. Laert. lib. VIII. segm. 78., ad victoriam aliquam Epicharmi de adversariis reportatam pertinuisse censeam. Verumtamen omnes illos, si qui praeter Phormidem et Dinolochum fuerunt, comoediae Doriensium poetas, ipsa iam antiquitas ut ad perpetuam oblivionem adduxit: ita et aequalium et posterorum laudes in unum Epicharmum contulisse videtur. Quorum quidem testimonia ex ordine omnia percipere eo magis nos iuvare debet, cum poetae ingeniosissimi comoedia, qua plenam eius speciem animo informare possis, nulla prorsus integra supersit.

Atque inter illos, quorum de comoedia Epicharmea iudicia etiamnum habemus memoriae prodita, ipse Epicharmus aetate primum locum obtinet. Justum est autem, ut ipsius poetae de comoediis suis sententiam primum cognoscamus. Is enim, uti postea Horatius aliique se carminibus suis fore immortales praedixerunt, quid posteri de comoediis suis sentirent, vaticinatus est versiculis illis, qui extant apud Diog. Laert. III. segm. 9. ὅτι δ' οὐκ αὐτὸς Ἐπίχαρμος ἠγνόει τὴν αὑτοῦ σοφίαν,

μαθεῖν ἐςι κἀκ τούτων, ἐν οἷς τὸν ζηλώσοντα προμαντεύεται.

Ὡς δ᾽ ἐγῶ δοκέω, σαφὲς δοκεῖ γὰρ ἄμμι τοῦτ᾽ ὅτι
Τῶν ἐμῶν μνάμα ποκ᾽ ἐσσεῖται λόγων τούτων ἔτι.
Καὶ λαβών τις αὐτὰ, περιδύσας τὸ μέτρον, ὃ νῦν ἔχει,
Εἷμα δοὺς καὶ πορφύραν λόγοισι ποικίλαν καλοῖς.
Δυσπάλαιςος ὢν τοὺς ἄλλους εὐπαλαίςους ἀποφανεῖ.

Quam quidem poëtae sapientissimi, qui operum suorum praestantiam non ignoraret, superbiam eo minus vituperare licet, cum et inter philosophos et inter poetas imitatores eius sint reperti. Ita, ut unum insuper exemplum afferam, praeter Platonem, quem plurima ex Epicharmi comoediis desumsisse supra demonstravi, Euripides etiam sententiarum ipse amantissimus Epicharmea nonnulla in fabulas suas transtulit. Cf. Clem. Alex. strom. VI. p. 263., ib. p. 264. Nam de illis, qui in fabulis ipsis pertractandis Epicharmum sunt sequuti, infra pauca adhuc monebo. Sed hoc loco maxime animo meo obversatur memorabile, quod dc comoedia Epicharmea protulit iudicium Plato, iudex harum rerum elegantissimus. Is enim in Theaeteto §. 8. p. 153. a. ita sermocinatur: *καὶ περὶ τούτου πάντες ἑξῆς οἱ σοφοὶ πλὴν Παρμενίδου ξυμφέρεσθον, Πρωταγόρας τε καὶ Ἡράκλειτος καὶ Ἐμπεδοκλῆς. καὶ τῶν ποιητῶν οἱ ἄκροι τῆς ποιήσεως ἑκατέρας, κωμῳδίας μὲν Ἐπίχαρμος, τραγῳδίας δὲ Ὅμηρος εἰπών· Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν, πάντα εἴρηκεν ἔκγονα ῥοῆς τε καὶ κινήσεως.* Videtis, hic Homerum et Epicharmum tanquam summos i. e. perfectissimos in genere suo poetas componi. Neque mihi obiiciat aliquis cum Valkenario ad Adon. p. 200., vocem *ἄκρος* de tempore,

quo primi inter scaenicos et epicos poetas illi fuerint, esse intelligendam; significatio enim huius voculae anceps est, et plerumque ad totius sententiae nexum accommodanda. Verum hoc quidem loco arte summos, neque vero tempore primos illos appellaverit Plato omnino necesse est. Nimirum ut sententiam illam philosophicam „omnia e motu oriri et fluvio„ testium gravissimorum auctoritate confirmaret, ad viros in philosophia et poesi praestantissimos provocare debebat; quocirca Homerum quoque et Epicharmum attulit, quos summum in arte sua fastigium attigisse esset arbitratus. Quod quidem Platonis de Epicharmo iudicium utrum iusto nimiam eius laudem contineat, non facile quisquam diiudicabit. Nam fieri potuisse, ut praecepta illa philosophica comoediis Epicharmeis inserta Platonem ad poetam laudandum permoverint aliquantum, iam supra commemoravi. Verum hoc loco monere sufficiat, Platonem re vera ita de Epicharmo iudicasse, ut illum omnibus comoediae poetis anteponeret. Eandem autem, quam ego, verbis Platonis inesse sententiam censent Jacobs. Anthol. tom. I. s. II. p. 203. Mueller. Dor. tom. II. p. 354. Dahlmann. de orig. com. p. 22. Wieland. ad Horat. epist. II. I. 58.

Eadem fere ratione Epicharmum cum summis et sanctissimis poetis composuit Alexis Thurius apud Athenaeum lib. IV. p. 164. c. Id autem Alexidis fragmentum petitum est e comoedia *Lino*, in qua Linus Herculem puerum artem musicam docens in scaenam inducitur. Bonus igitur magister libros aliquot argumenti diversissimi proponit, unde discipulus sibi unum alterumve ipse seligat:

ille vero ad res elegantiores percipiendas parum idoneus Simi de re coquinaria librum arripit. Haec vero est Lini ad Herculem adhortatio:

Βιβλίον
Ἐντεῦθεν, ὅ τι βούλει, προςελθὼν γὰρ λαβέ,
Ἔπειτ' ἀναγνώσει, πάνυ γε διασκοπῶν
Ἀπὸ τῶν ἐπιγραμμάτων ἀτρέμα τε καὶ σχολῇ.
Ὀρφεὺς ἔνεςιν, Ἡσίοδος, τραγῳδία,
Χοίριλος, Ὅμηρος, Ἐπίχαρμος, συγγράμματα
Παντοδαπά. δηλώσεις γὰρ οὕτω τὴν φύσιν,
Ἐπὶ τί μάλις' ὥρμησε.

Quibus in versiculis aut nihil omnino aut perpauca modo esse immutanda iam alii monuerúnt. Cf. Jacobs. addit. ad Athen. p. 104. Verum hoc probe est tenendum, inter Simi de re coquinaria librum et reliquos a Lino allatos hanc esse oppositionem satis iocosam, ut hic quidem opera afferat in genere suo praestantissima, vilissimum autem libellum iis praeferat discipulus.

Qui autem alii insuper Platonem sequuti sunt oratores et poetae, tantum abest, ut non idem senserint, ut quivis eorum suo modo laudes Epicharmi celebraverit. Sunt enim inter eos, qui copiosam doctrinam, qua comoediae ipsius refertae erant, sint admirati: alii aliam quandam eius praestantiam praedicare student. Quinimo nonnulli comoedias Epicharmi, quas peculiaribus commentariis illustrarent, sat dignas habebant. Quos inter regem etiam aliquem Syracusium fuisse sciàs. Is erat, si Suidae s. v. *Διονυς.* fidem habes, Dionysius, cuius exemplum plures, quam Apollodorum, Atheniensem illum grammaticum, sequutos esse suspicor. Nam et illum ad Epicharmi scripta illustranda operam

suam contulisse novimus. Cf. Athen. lib. XIV. p. 648. d. Suid. s. v. καρδιώττειν. Poetarum vero, qui laude Epicharmi carminum argumenta fecerunt, duo integra specimina supersunt. Alterum igitur est apud Diog. Laert. in vita Epich., cuius auctor Epicharmum, uti solem luce sideribus, mare magnitudine fluminibus, aequalibus eximia sua sapientia praeminere dixit. Alterum est Theocriti, qui ipse in eadem Epicharmi sapientia laudanda versatur. Cf. Theocrit. epigr. XV. Neque omnino contemnendum est Pseudophalaridis testimonium, q epist. 97. Epicharmum unum toti Siciliae se pare facere est professus.

Verum multo magis, quam, quos modo laudavi, virorum sententiae, qui aut praeconcepta quadam opinione aut poetica licentia ducti a vero facillime aberrare possent, apud nos valebunt illorum iudicia, qui saeculo III. a. C. N. id unum summa religione agere inceperunt, ut vera a falsis secernerent, quique graecarum litterarum auctores omnes ita ad censum revocarunt, ut praestantiores a peioribus et mediocribus canone suo separarent. Atque de doctis illis scholae Alexandrinae grammaticis me verba facere quivis sentit. Bona igitur fortuna factum est, ut quem veteris comoediae poetarum canonem illi adumbraverant, servaverint Proclus in chrestom. p. 340. et grammaticus anonym. in biblioth. Coislin. p. 597. Ibi enim hoc memoriae est proditum, a grammaticis istis inter principes antiquae comoediae poetas relatos fuisse Epicharmum, Cratinum, Eupolin, Aristophanem, Pherecratem, Platonem. Cf. Rhunken. praef. ad Rut. Lup. p. XCV. Vide autem, anne

cum censu illo Alexandrinorum omnino consentiat sive potius eum descripserit anonymus apud Kusterum p. XII. ita dicens: *τούτων δέ* (sc. *τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιητῶν*) *εἰσιν ἀξιολογώτατοι Ἐπίχαρμος, Μάγνης, Κρατῖνος, Κράτης, Φερεκράτης, Φρύνιχος, Εὔπολις, Ἀριςοφάνης.* Neque eundem canonem non respexisse mihi videtur Eusebius, qui Epicharmum eruditissimis Graecorum scriptoribus adnumeravit praep. evang. p. 674. ed. Colon., ubi haec eius verba reperiuntur: *τό δυνατὸν ἐν πᾶσι προςάπτουσι καὶ οἱ παρ᾽ Ἕλλησι λογιώτατοι τῷ θεῷ. ὁ μὲν Επίχαρμος κ. τ. λ.*

Inter Romanos adeo fuisse multos, qui Epicharmi comoediam laudarent, nobilissimi docent Horatii versiculi, qui extant in epistol. lib. II. 1., 58. et seqq.

Ambigitur quoties uter utro sit prior: aufert
Pacuvius docti famam senis, Attius alti;
Dicitur Afrani toga convenisse Menandro,
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi etc.

Hoc enim loco Horatius id agit, ut singulas virtutes, quas aequales in poetis scaenicis antiquioribus, uti Ennio, Attio, aliis maxime praedicare consueverint, enumeret. Plautum igitur Romani ea ipsa de causa laudabant, quod ad exemplum, sive, quod mavult schol. Cruq., ad laudem Epicharmi studiosissime appropinquavit. Quodsi Plautum illi ipsam ob Epicharmi imitationem laudibus exornarunt, pluris etiam Epicharmum ipsum ab illis fuisse aestimatum nemo est, qui non intelligat. Honorifice Cicero quoque, licet non in universum de comoedia Epicharmea, sed de singulari quadam eius proprietate verba fecit. Quae cum ipsius Ciceronis, optimi

harum rerum aestimatoris sint, apponere non dubito. Ita igitur ille quaest. Tuscul. I. 8, 15. *Sed tu mihi videris Epicharmi acuti neque insulsi hominis ut Siculi sententiam sequi* etc. Idem vero epist. ad Attic. I. 19. *Atque ita tamen his novis amicitiis implicati sumus, ut creber mihi vafer ille Siculus insusurret cantilenam suam* etc. Vides maxime ingenii Epicharmei acumen eiusque in disputando subtilitatem Ciceronem esse admiratum. Cf. Mueller. Dor. tom. II. p. 355. Levioris autem momenti iudicium est istud, quod est apud Appuleium Florid. II. 4. In qua Appuleii sententia, quod in transcursu monitum velim, verba *Epicharmus modos*, cum non perspicua atque corrupta videantur, in *Epicharmus comoedias* forsitan sint immutanda.

Tot igitur virorum ad laudes Epicharmi consentientium auctoritatem unius adversarii sententia parum infringi omnes quidem concedent: sed hoc tamen miramur, adversarium illum esse ipsum Quinctilianum, iudicem longe elegantissimum. Is enim, cum instit. rhet. lib. X. c. 1., qui in quovis eloquentiae genere scriptores fuerint praestantissimi, enumeraverit; de Epicharmo et comoedia Doriensium ne syllabam quidem est elocutus. Quod quidem eo magis mirum videbitur, cum Quinctilianus iudicia sua ad canonem istum Alexandrinorum accommodaverit. Cf. Rhunken. l. l. Cum autem iudices, qui de re aliqua litteraria silent, eam aut contemnere aut ignorare vulgo videantur: silentium istud Quinctiliani forsitan aliquis ita interpretetur, ut Epicharmum multo minoris, quam ceteros comoediae poetas a Quinctiliano aestimatum esse dicat. Nam comoediam Epicharmeam prorsus ignorasse

doctum illum grammaticum vix quisquam concedet. Unde vero factum sit, ut ita de Epicharmo sentiret Quinctilianus, harioli explicare studeant. Utrum enim comoediae Atticae praeconceptus quidam amor, an exigua illa, quam utique in reliquiis Epicharmeis deprehendimus, sermonis et numerorum politura, an alia quaepiam causa grammaticum latinum moverit, omnino est incertum.

Fortasse autem nonnullos e criticis recentioribus permovit ipsa Quinctiliani auctoritas, ut isti eius silentio iudicia de comoediis Epicharmeis accommodarent sua. Ita Schlegelius plurimis veterum testimoniis adversatus in hist. artis dram. II. p. 37. Epicharmum scurram aliquem impolitum fuisse, eiusque nugas cum perfecta Atheniensium comoedia nequaquam posse comparari existimavit. Neque multo honorificentius de eo iudicium protulit Boettiger. in praefatione ad Id. Arch. p. XX., qui, cum cultiorem Atheniensium comoediam ludicris Epicharmi satyricis opponeret, iustam fabulis ipsius artem et polituram abiudicasse videtur. Verum et duumviros illos aliosque complures in diiudicanda Siculorum comoedia a vero longissime aberrasse, et omnino ad homines litteratos exiguam adhuc comoediae Epicharmeae pervenisse notitiam, nuperrime verbis paucissimis quidem, sed verissimis conquestus est Mueller. Dor. II. p. 354. Istos igitur vituperatores Epicharmi ut redarguam, magisque etiam laudatorum testimonia confirmem: aliud insuper argumenti genus suppeditabo. Nimirum paulo accuratius est videndum, quales tum temporis fuerint hominum Siculorum res atque instituta, qualis animorum temperatura, qualia

denique artium et litterarum incrementa. Ea enim omnia quantopere ad artem aliquam excolendam faciant, nemo est qui nesciat.

Illa igitur, qua Epicharmus ad comoediam perficiendam accessit, aetas erat, ut ita dicam, hominum Siculorum aurea. Etenim inter Ol. LXX. et Ol. LXXXX. in omnibus fere Siciliae regionibus tanta erat divitiarum abundantia, tam laeta hominum beatitas, tam eximia copiarum bellicarum praestantia, ut his quidem rebus nulla fere e reliquis gentibus cum Siculis comparari posset. Mannerti geogr. Rom. et Graec. tom. IX. II. p. 2, Heerenii hist. pop. ant. p. 199. Burigny hist. de la Sicile. tom. I. p. 82. Arnold. hist. Syrac. p. seqq. Accedit, quod ingeniorum quoque cultus tum temporis adeo erat adaucta, ut Siculi artium et litterarum monumentis ceteros omnes Graecos facile superarent, atque in nonnullis rebus eorum doctores existerent. Cf. Mueller. Dor. II. p. 4 Iam vero, quos modo laudavi, virorum doctorum testimoniis acquiescere possem, nisi paucissima illa quae de his Siculorum temporibus significarunt ita enuntiassent, ut ea divinanda potius, quam certis auctorum testimoniis demonstranda esse quis suspicari queat. Attamen praeter artis antiquissimae reliquias quamplurimas — Cf. d'Orville Sic. l. m. — supersunt testimonia scriptis mandata satis multa, unde quales Gelonis et Hieronis aetate res Siculorum fuerint, omnino cognoscere possimus. Gravissima igitur aliquot de ea re testimonia, licet a disputationis meae summa alienum aliquid facere me videam, hoc loco componere liceat.

Ob eximiam igitur soli ubertatem et maximam civium opulentiam inde exorientem prae reliqui

terrae regionibus totam Siciliam veteres ore unanimi praedicabant, siquidem fides est habenda Straboni lib. VI. p. 419. Almel., qui eam hisce satis designavit: *τὴν δὲ τῆς χώρας ἀρετὴν θρυλλουμένην ὑπὸ πάντων, οὐδὲν χείρω τῆς Ἰταλίας ἀποφαινομένων, τί δεῖ λέγειν; κ. τ. λ.* Quinimo antiquissimis iam temporibus nonnullae Siciliae civitates et maxime Syracusae omni opum et divitiarum genere ita abundabant, ut hominem vel ditissimum cum Siculo camparari non posse proverbialiter dicerent. Eius autem rei argumentum habes narratiunculam Strabonis lib. VI. p. 415. ed. Almel., quae pertinet adeo ad illa tempora, quae originem Syracusarum mox sunt consecuta. *Τὰς μὲν Συρακούσας Ἀρχίας μὲν ἔκτισεν ἐκ Κορίνθου πλεύσας περὶ τοὺς αὐτοὺς χρόνους, οἷς ᾠκίσθησαν καὶ ἡ Νάξος καὶ τὰ Μέγαρα· ἅμα τε Μύσκελλόν τέ φασιν εἰς Δελφοὺς ἐλθεῖν καὶ τὸν Ἀρχίαν χρηστηριαζόμενον ἐρέσθαι τὸν θεὸν, πότερον αἱροῦνται πλοῦτον ἢ ὑγιείαν· τὸν μὲν οὖν Ἀρχίαν ἑλέσθαι τὸν πλοῦτον, Μύσκελλον δὲ τὴν ὑγιείαν· τῷ μὲν δὴ Συρακούσας δοῦναι κτίζειν τῷ δὲ Κρότωνα. καὶ δὴ συμβῆναι Κροτωνιάτας μὲν οὕτως ὑγιεινὴν οἰκῆσαι πόλιν, ὡς εἰρήκαμεν. Συρακούσας δὲ ἐπὶ τοσοῦτον ἐμπεσεῖν πλούτου, ὥστε καὶ αὐτοὺς ἐν παροιμίᾳ διαδοθῆναι λεγόντων πρὸς τοὺς ἄγαν πολυτελεῖς, ὡς οὐκ ἂν ἐκγένοιτο αὐτοῖς ἡ Συρακουσίων δεκάτη.* Cf. Hesych. s. v. *Συρ. τραπ.* Suid. s. v. *Σικελ. τραπ.* Posteriorum autem temporum, quae intersunt Ol. LXX. et inter Ol. LXXX. testem habemus Pindarum, poetam omnium longe verissimum. Qui cum et ipse saepenumero in Siciliam delatus hominum Siculorum opulentiam et beatitudinem cognovisset: carminibus suis nonnullis ob Siculorum quorundam

victorias decantatis eximias terrae huius laudes inseruit. Ita Nem. I. v. 15—24. Siciliam ait dotem esse nobilissimam, quam Jupiter dederit Proserpinae iuratus, se terram illam urbibus magnificis esse ornaturum:

Ἔγειρέ νυν ἀγλαΐαν τινὰ νάσῳ
Τὰν Ὀλύμπου δεσπότας
Ζεὺς ἔδωκεν Φερσεφόνᾳ· κατένευ-
σέν τέ οἱ χαίταις, ἀρι-
στεύοισαν εὐκάρπου χθονὸς
Σικελίαν πίειραν ὀρθώ-
σειν κορυφαῖς πολέων ἀφνεαῖς.

Cf. Ol. I. v. 16. et schol. ad h. l.

Hanc vero suam opulentiam Siculi cum et aliis ostentare vellent, certaminibus illis Graecorum solennibus abstinere vix poterant. Itaque ad aurigarum certamina, quae sumtuosissima essent, certatores suos Olympiam, Nemea, alio dimittere consueverant. Inde factum est, ut inter quadraginta illa Pindari carmina epinicia quindecim reperiantur, quibus victoriae a Siculis aurigis maxime reportatae celebrentur. Neque vero Siculi divitiis suis, quod vulgo apud homines fieri videmus, in desidiam et luxuriem delabebantur. Imo homines bellicosissimi belli artibus strenue operam navarunt, multisque periculis virtutem suam comprobarunt. Quocirca Pindarus l. l. ad laudes supra memoratas hasce addit:

Ὤπασε δὲ Κρονίων
Πολέμου μναστῆρα οἱ χαλκεντέος
Λαὸν ἵππαιχμον, θαμὰ δὴ καὶ Ὀλυμ-
πιάδων φύλλοις ἐλαιᾶν
Χρυσέοις μιχθέντα.

Cf. schol. ad h. l. Eadem de causa Carthaginienses, qui tum temporis gens omnium longe fortissima habebantur, Siculos diu adversarios pugnacissimos, victores denique suos habuere Syracusios. Cf. Strab. lib. IV. p. 414. ed. Almel. Quin etiam, quum reliqui Graeci ad bellum, quod a Persis imminebat, depellendum Siculorum societatem poposcissent: ita usu et potentia militari superbiebant isti, ut ea conditione, si summum belli imperium sibi esset demandatum, auxilia pollicerentur. Rem enarravit Herod. lib. VII. c. 147.

Quod autem fieri solet, ut opibus atque potentia mira quaedam animorum alacritas et laetitia excitetur: idem Siculis, qui illa aetate vixerunt, contigisse deprehendes. Quum enim pace cum Carthaginiensibus composita, i. e. inde ab Ol. LXXV. omnibus pacis voluptatibus tuto frui liceret: per Siciliam erat una eaque perpetua, ut ita dicam, hominum feriatorum comissatio. Ibi enim inde ex eo tempore nil nisi conventus laetissimi, sacra solennia, pompae, epulae, ludi, spectacula, quaeque alia ad laetitiam animorum significandam conducunt, per omnes fere regiones conspiciebantur. Hanc autem felicissimam insulae conditionem descripsit Diod. Sic. lib. XII. c. 26. *ὁμοίως δὲ καὶ τὰ κατὰ τὴν Σικελίαν εἰρηνικὴν εἶχε κατάστασιν· Καρχηδονίων πεποιημένων συνθήκας πρὸς Γέλωνα, αὐτῶν δὲ κατὰ τὴν Σικελίαν πόλεων Ἑλληνίδων τὴν ἡγεμονίαν Συρακουσίοις συγκεχωρηκότων καὶ τῶν Ἀκραγαντίνων μετὰ τὴν ἧτταν τὴν γενομένην περὶ τὸν Ἱμέραν ποταμὸν συλλελυμένων πρὸς τοὺς Συρακουσίους.* Neque multo post de Siculis maxime dicens ita pergit: *διόπερ πολεμικὴ μὲν καὶ ἀξία μνήμης*

πρᾶξις οὐδεμία συνετελέσθη κατὰ τούτους τοὺς χρόνους. εἰρήνη δὲ μία συνετελέσθη καὶ πανηγύρεις καὶ ἀγῶνες καὶ θεῶν θυσίαι καὶ τἆλλα πρὸς εὐδαιμονίαν ἀνήκοντα παρὰ πᾶσιν ἐπεπόλαζεν. Haec vero deliciarum abundantia, ut raro homines in rebus secundis sibi temperant, aliquando in protervitatem et petulantiam degeneraverit. Quale vituperium maxime in Syracusios cadit, quos nimiae garrulitatis et ridendi cupidinis, qua demum ab Hierone fuerint liberati, castigavit Timaeus, scriptor gravissimus apud Plutarch. apoph. p. 152. c. οἱ μὲν (sc. Γέλων καὶ Ἱέρων) εὐνομίαν τε πολλὴν καὶ γῆς ἐπιμέλειαν παρασχόντες αὐτούς τε σώφρονας τοὺς πολίτας καὶ φιλέργους ἐκ πολυγέλων καὶ λάλων κατασκευάσαντες. Cf. Goeller. de situ Syr. p. 233. Verum enimvero inter homines ad hilaritatem et petulantiam adeo proclives vitam degere iucundissimum quamplurimis videbatur. Qua de causa multi inter Graecos exteros reperiebantur, qui patria relicta Siciliam beatiorem adirent, eiusque deliciis semel perceptis in patriam aut sero aut nunquam reverterentur. Quorum ego catalogum, cum exempla frequentissima sint, satisque innotuerint, hoc loco minime adumbrabo. Unum autem, cum maxime ad nos pertineat, afferre sufficiat. Epicharmum dico eiusque familiam.

Illa igitur aetate, quae tota dierum solemnium et deliciarum erat, atque homines inter, quos Timaeus prae ceteris omnibus πολυγέλους dixit, comoedia, ut ita dicam, facillime progigni et laetissima incrementa capere poterat. Ne vero in iocis suis et deliciis Siculos a vera animorum cultura alienos fuisse arbitreris: afferam ego quaedam, un-

de, quantopere iam tum temporis ad ingenia excolenda se dederint, optime intelligere possis. Itaque artes, quas plasticas dicunt, quando excolere inceperint illi, pro me iudex harum rerum maxime idoneus, Winkelmannus dicat. Ita enim ille op. tom. VII. p. 139. *Die aeltesten Denkmale der griechischen Kunst finden sich am meisten unter den Muenzen von einigen Staedten, sonderlich in Grossgriechenland und Sicilien. Ich setze Sicilien vor Athen. Der Grund hiervon ist, weil jene Laender in jenen ersten Zeiten viel bluehender waren, als Griechenland selbst, und deshalb die Kuenste frueher ausbildeten.* Eandem illi operam in iis quibusdam artis poeticae generibus excolendis posuerunt. Itaque non defuisse novimus, qui in poesi lyrica magnam apud aequales et posteros laudem consequerentur. Laudant enim veteres Stesichorum illum Himerensem, qui quam varius atque artificiosus in pangendis carminibus fuerit, docuit Quinctil. X. 1. 62: Multam gloriam tribuerunt Ibyco quoque, poetae aequali, cuius carmina amatoria iucundissima fuisse tradunt. Qui utrum Rheginus an Zanclaeus fuerit, incertum est. Cf. Groddek hist. litt. gr. I. p. 60. Quin etiam Homeri poemata mature apud Siculos innotuerunt. Quum enim multi artifices et poetae ad Siculos emigrare inciperent: rhapsodi quoque patria Ionica relicta in Siciliam artem suam ostentaturi proficiscebantur. Ita Cynaethum, Chium rhapsodum iam Ol. LXIX. in Siciliam esse profectum et Syracusis Homeri carmina recitasse refert schol. ad Pind. Nem. II. init. Haec enim eius verba sunt: αὐτοῦ δὲ ὁ Κύναιθος πρῶτος ἐν Συρακούσαις ἐραψῴδησε τὰ

Ὁμήρου ἔπη κατὰ τὴν ἑξηκοστὴν ἐννάτην Ὀλυμπιάδα, ὡς Ἱππόστρατός φησιν. Cf. Winkelm. op. tom. VII. p. 161.

Mox autem Siculi optimae rerum suarum conditioni addere inceperunt laudabilem quandam vitae rationem atque polituram, ex quo tempore pleraeque eorum civitates imperii principatum ad reges Syracusanos Gelonem et Hieronem detulerant. Id autem factum est, si Diodoro l. l. fidem habes, tum, quum Gelo pacem cum Carthaginiensibus composuit. Illos enim duumviros Siculorum civitates sapientissimo regimine temperasse scias, siquidem vere dixit Timaeus l. l. *οἱ μὲν εὐνομίαν τε πολλὴν καὶ γῆς ἐπιμελείαν παρασχόντες κ. τ. λ.* Imprimis vero Hieronem iustitiae, sapientiae, pacis studiosissimum fuisse praedicavit Pindarus. Cf. Ol. I. v. 15., VI. v. 158., Pyth. I. v. 59. et 134., II. v. 104. Cf. schol. ad h. l., Diod. Sic. XI. c. 66. Goeller. de situ Syr. p. 15. Horum igitur regum opera Syracusarum maxime gloria, opulentia, magnitudo est adaucta. Cf. Mannerti geogr. Gr. et Rom. tom. IX. p. 312. Inde factum est, ut veterum poetae et oratores in laudibus huius urbis faciendis sibi vix satisfacere possent. Ita Pindarus eam epitheto fere perpetuo prae ceteris *nobilem* dixit — *αἱ κλειναὶ Συράκοσσαι* —. Cf. Nem. I. v. 2., Ol. VI. v. 8. Atque ipse scholiasta eodem sensu ad Ol. VI. v. 8. apposuit haecce: *συνοικιστὴς τῶν ἐνδόξων Συρακουσῶν.* Profecto autem Syracusae tum temporis urbs erat totius terrarum orbis et amplissima et pulcherrima. Sin vero, quod refert Livius lib. XXV. c. 24., urbs illa multo postea diuturnis bellorum calamitatibus exantlata

et misera Romanorum obsidione longius producta tam eximiam adhuc opum et magnificentiae speciem offerret, ut Marcellus victor, cum aliquando ex superioribus locis urbem oculis subiectam vidisset: partim gaudio tantae perpetratae rei, partim vetusta gloria urbis illacrimasse diceretur: eandem laudem Syracusis, quales sub Gelone et Hierone erant, attribuere ne dubites. Magnam enim et beatam hanc urbem cum excellentia quadam dixit iam Pindarus, poeta eorum aequalis, Pyth. II. v. 1—4.

Μεγαλοπόλιες ὦ Συρά —
κοσαι, βαθυπολέμου
Τέμενος Ἄρεος, ἀνδρῶν
Ἵππων τε σιδαροχαρμᾶν
Δαιμόνιαι τροφοί.

Ad quem locum scholiasta, cum hoc diserte adnotaverit, Pindarum Syracusas ad rerum fidem *τὴν μεγαλόπολιν* nominasse, easdem eius, quas postea Cicero et Strabo enumerarunt, partes iam tum fuisse ostendit. Cf. Cicero. Verr. II. 4., 53. Strabo. VI. p. 415. Almel. Cephall. Reise d. It. u. Sic. II. p. 7.

Prae omnibus vero urbis opulentissimae civibus ipse Hiero per omne imperium suum singulare quoddam magnificentiae studium et publice et privatim ostentabat. Cf. Pind. Ol. I. v. 17. seqq. et schol. ad h. l. Nem. IX. v. 2—5. Inde venit mira quoque eius hospitalitas, qua hospitum Syracusas confluentium multitudinem benigne exciperet et mirifice sustentaret. Quae quidem in hospites eius munificentia tanta erat, ut ob eam divinum hospitum patrem illum dixerint poetae. Cf. Pind. Pyth.

III. v. 125. Haud vero liberalitatem in eos maxime contulit rex elegantissimus, quos in artium operibus effingendis vel in litterarum studiis operam suam collocare novisset. Quod non miraberis in homine, quem per excellentiam quandam τῶν καλῶν ἴδριν praedicavit Pindarus Ol. I. v. 165. Cf. schol. ad h. l. Winkelm. tom. VI. 1. p. 153. Ita factum est, ut qui tum temporis artis statuariae laude inclaruissent, non raro e terris longinquis ad aulam Syracusarum arcesserentur. Quod contigisse novimus Glauciae statuario, qui Gelonis signum effinxit pretiocissimum. Cf. Meyeri hist. art. Gr. I. p. 48. Hiero autem arcessivit, qui tum temporis hac arte eximii erant, Onatam illum Aeginetam, et Calamin Atheniensem, ut opus efficerent amplissimum illud, quod descripsit Winkelm. tom. VI. p. 25. Sed in exemplis longus esse nolo. Si quis enim, quam laetus harum artium vigor sub regibus illis Syracusis fuerit, edoceri cupit: is maxime audiat Meyeri de ea re testimonium, quod est in hist. art. Gr. I. p. 257. Cf. Winkelm. tom. VI. 18., 28., 153., VII. 139.

Imprimis autem poetas atque homines litteratos amore suo et gratia Hiero fovebat. Ita, ut exemplum unum alterumve proferam, Simonidem e Graecia in Siciliam delatum ad aulam suam a rege illo esse arcessitum, referunt Plutarch. de exilio c. 13. et Pausanias Att. c. 2. Atque intimam cum Hierone amicitiam contraxisse debebat Simonides: alioquin Xenophon in dialogo cognomine Hieronem cum Simonide de optima reipublicae administrandae ratione colloquentem facere non potuisset. Forsitan ipsius quoque Epicharmi consuetudo ibi

Simonidi contigerit: id enim ut suspicer, facit mira illa conspiratio, qua utrumque in graecarum litterarum summa complenda versatum fuisse supra vidimus. Accessit cum Bacchylide — cf. Aelian. V. H. IV. 15. — Pindarus quoque, qui genus poesis excoluit ad animum regis magnificentiae studiosissimi maxime accommodatum. Is autem summa se hospitalitate a rege saepissime esse exceptum, obscurius, ut fere solet, significavit Ol. I. v. 24. seqq. Cf. Thiersch. Einleit. z. Pind. p. 92. Atque choros eum ipsum Syracusis instituisse sequitur e versiculis, qui sunt Ol. VI. 165. seqq. Cf. Thiersch. l. l. p. 92.

Erat deinde inter advenas illos poeta, qui et ipse in poesin scaenicam gloriosissime operam suam contulerat. Is erat Aeschylus, tragoediae Atticae princeps, quem in Siciliam profectum esse, ibique summis honoribus exornatum vita decessisse refert vitae Aeschyleae scriptor. Cf. Plutarch. Cim. p. 117. Id. de exilio c. 13. Pausan. Attic. 2. Suid. s. v. Boekh. de trag. gr. princ. p. 50. Atque primum iam Ol. LXX. 1. et deinde pluries eum in Siciliam iter fecisse e diversis de itinere Aeschyleo veterum scriptorum testimoniis effecit Hermannus prol. II. de choro Eumen. Inde autem, quod Aeschylus repetita vice Siciliam petiit ibique diutius est commoratus, facillime explicare potes, quo factum sit, ut nonnullae voces Siculae in fabulas eius irrepserint. Quos quidem Sicilismos iam veteres, cum in scriptis Aeschyleis hinc illinc deprehendissent, ad eandem causam, quam recentiores eius interpretes, referre inceperunt. Audi modo Athen. lib. IX. p. 402. c. ὅτι δὲ Αἴσχυλος διατρίψας

ἐν Σικελίᾳ πολλαῖς κέχρηται φωναῖς Σικελικαῖς οὐδὲν θαυμαςόν. Voculas autem, quae in Sicilismorum censum revocari debeant, complures in tragoediis Meleagro et Phorcidibus fuisse, plurimas vero in Supplicibus inesse iudicavit Boekhius l. l. p. 52. Quin etiam in Orestea Sicilismi non deesse videntur. Cf. Buttleri notae ad Eumen. v. 623. Num vero recte concludant, qui e vocibus istis Siculis id efficere conantur, ut fabulas aliquot in Sicilia Aeschylus ediderit: id ego in medio positum relinquam. Certiorem autem coniecturam illi capere poterant inde, quod Aeschylus multos per annos et animo libentissimo in Sicilia est commoratus. Eum enim per tantum temporis spatium admirabilem suam artem celasse, neque homines Siculos omnium spectaculorum amantissimos illa delectasse, vix cuiquam persuadebis.

Quanquam in hac re minime est opus coniecturis. Sunt enim inter fabulas Aeschyleas duo, quas in Sicilia editas fuisse veteres scriptores diserte tradiderunt. Earum unam fuisse tragoediam *Persas* docuit Eratosthenes in libello de comoediis, siquidem fides est habenda scholiastae Aristophanis ad Ran. v. 1060. δοκοῦσι δὲ οὗτοι οἱ Πέρσαι ὑπὸ Αἰσχύλου διδαχθῆναι ἐν Συρακούσαις σπουδάσαντος Ἱέρωνος, ὥς φησιν Ἐρατοσθένης ἐν γ' περὶ κωμῳδίας. Quibuscum fere congruit additamentum ad vitam Aeschyli, quod extat in codice aliquo Guelf. Φασὶν ὑπὸ Ἱέρωνος ἀξιωθέντα ἀναδιδάξαι τοὺς Πέρσας ἐν Σικελίῃ καὶ λίαν εὐδοκιμῆσαι. Cf. Hermann. prol. II. de choro Eumen. Jam vero in verbis istis quaedam sunt notatu dignissima. Namque ex Eratosthenis verbis: σπουδάσαντος Ἱέρωνος, quibuscum scholiasta

dicens: ἀξιωθέντα ὑπὸ Ἱέρωνος fere consentit, hoc certe liquet, Hieronem singulari studio spectacula scaenica fuisse amplexatum, quippe cuius maxime impulsu Aeschylus ad Persas docendam accesserit. Neque igitur idem rex, magnificentiae alias studiosissimus, sumtum et apparatum ad fabulam iusto modo proponendam non suppeditavit. Quae autem sequuntur verba καὶ λίαν εὐδοκιμῆσαι, ita sunt comparata, ut non modo eximiam, qua spectatores Syracusani poetam exornaverint, laudem significent, verum etiam eosdem ad genus fabularum politius animos suos et studia convertisse ostendant. Poetam vero ipsum, cum a rege tantopere in arte sua excolenda iuvaretur, atque ab omni populo summa laude esset exornatus, in una alterave fabula docenda substitisse, non facile erit, qui concedat.

Altera autem, quam Syracusis docuisse Aeschylum novimus, illa fabula est, quae ab urbe, quam Hiero recens condiderat, *Aetnae* est denominata. Ita enim scriptor vitae Aeschyleae: Ἐλθὼν τοίνυν εἰς Σικελίαν, Ἱέρωνος τότε τὴν Αἴτνην κτίζοντος ἐπεδείξατο τὰς Αἴτνας πάνυ λαμπρῶς, οἰωνιζόμενος βίον ἀγαθὸν τοῖς συνοικοῦσι τὴν πόλιν. Cf. Hermann. l. l. Quam quidem urbem quum Ol. LXXVI. 1. conditam esse auctores certissimi referant: eodem fere tempore fabulam *Aetnas* ab Aeschylo doctam fuisse e verbis scholiastae modo laudatis consequitur. Sed quod gravius inde efficere licet, hoc est. Nimirum illo tempore Aeschylum, quae inventa ad scaenam, machinas, histriones, saltatores, ornamenta, fabulam eiusque partes addiderat, iam omnia ad lucem protulisse omnino constat. Atqui πάνυ λαμπρῶς i. e. summa cum magnificentia Aeschy-

lum Aetnas illas docuisse testatur scholiasta. Quid igitur rei est convenientius, quam de fabulis istis apud Syracusanos editis ita statuere, ut Aeschylum omnia, quae poterat, ornamenta summamque artem ad scaenam et machinas et histriones aliasque res adhibuisse dicamus. Quod quidem eo magis est concedendum, quum ipsum regem, quem spectacula scaenica maxime adamasse ex Eratosthenis testimonio effeci, subsidia sua Aeschylo suppeditare non dubitaret, atque ab Atheniensium choragis rebus eiusmodi se superari nequaquam pateretur. Iam vero utrum cum Hirtio, qui in libro suo Gesch. d. Baukunst, tom. II. p. 86. tum temporis lignea theatra Siculis satis fuisse censuit, sit faciendum, vehementer equidem dubito. Imo vero pro miro suo artium omnium amore Hiero ad amplum aliquod et lapideum theatrum condendum mox accessit. Quanquam multum abest, ut, cuius etiamnum in Neapoli vico reliquias amplissimas et magnificas admiramur, theatrum idem cum illo fuisse statuam. Id enim ad Hieronis II. tempora pertinere nuper demonstravit Osannus in progr. de regina Philistide. Cf. Stollberg. Reisen durch It. u. Sic. tom. IV. p. 207. Cephall. R. tom. II. p. 7. Nimirum in alia quavis urbis immensae regione priscum istud theatrum extructum esse poterat.

Quae cum ita sint, non omnino improbanda videtur illorum sententia, qui Epicharmum ad Aeschyli exemplum in rebus scaenicis nonnulla emendasse, nonnulla amplificasse opinantur. Eiusmodi autem commercium poetas illos intercessisse qui argumento edoceri cupit: ei non opus est ut dicam, Epicharmum cum Aeschylo uno eodemque

tempore Syracusas convenisse. Nimirum id in alia re eaque graviori erat positum. Epicharmus enim Aeschylum fabulas docentem non vidit tantum, verum etiam dictiones eius aliquot inusitatas atque orationem nimium inflatam eadem, qua postea Aristophanes, audacia perstrinxit. Itaque ut huius rei exemplum, quod forte fortuna servavit schol. ad Aesch. Eumen. v. 629., afferam: voculam τιμαλφούμενον Aeschylus, quoniam ipsi perplacebat, in fabulis suis saepissime usurpavit. Quapropter illum risit Epicharmus. Ita enim scholiasta ad vers. laud. *τιμαλφούμενον. συνεχὲς τὸ ὄνομα παρ᾽ Αἰσχύλῳ, δι᾽ ὃ σκώπτει αὐτὸν ὁ Ἐπίχαρμος.* Cf. Dahlmann. de orig. comoed. p. 22. Ipsae autem Eumenides an alia quaepiam Aeschyli fabula fuerit, ad quam ludibrium istud Epicharmi pertinuit, non facile quisquam diiudicabit: siquidem vocula illa saepius ab Aeschylo usurpata pluribus eius tragoediis inesse poterat. At qua demum ratione, ita ex me aliquis quaesiverit, Epicharmus Aeschyli dictionem deridere poterat? Nimirum suis ipsius comoediis ludibrium eiusmodi inseruit. Id enim eum inter vitae familiaris colloquia non fecisse, e verbis scholiastae *σκώπτει ὁ Ἐπίχαρμος* liquido intelligitur. Iam vero Epicharmus non modo eadem spectatorum corona, qua tragoediae poeta deridendus, fabulas docebat: verum etiam et scaenae et fabulae rationibus ad Aeschylum, cuius quidem aemulus erat, aliquantum appropinquasse debuit: alias enim ludibrium istud neque fuisset idoneum, neque omnino locum habere potuisset.

Epicharmus igitur *σκῶψι* illa sua utrum singulas modo voculas et dictiones ab Aeschylo usur-

patas perstrinxerit, an etiam argumenta tragica, qualia Aeschylus pertractaverat, ad rationes comicas traduxerit, nunc esse inquirendum videtur. Atque parodiam Epicharmeam ad totam fabularum Aeschylearum pertractationem pertinuisse cum alii, tum Buttlerus ad Aesch. Prom. arg. tom. I. contenderunt. Ad quam illi opinionem deducti sunt argumentorum similitudine, quae utrumque poetam in fabulis nonnullis pertractasse viderant. Itaque habebat antiquitas Aeschyli tragoedias *Promethcum*, *Philoctetam*, *Sphingem*, *Atalantam*, *Bacchas*, *Theoros*. Verum ecce, iidem tituli comoediarum aliquot Epicharmi etiamnum circumferuntur. At e titulorum ista congruentia ne nimium efficerent, viri illi summopere cavere debebant. Argumentum autem non multo certius repetiverunt alii e loco quodam Athenaei, ubi brevis eorum historia est adumbrata, qui in carminibus suis usi sunt parodia. Is est lib. XV. p. 698. c. εὑρετὴν μὲν οὖν τοῦ γένους (sc. τῆς παρῳδίας) Ἱππώνακτα φατέον τὸν ἰαμβοποιόν. Κέχρηται δὲ καὶ Ἐπίχαρμος ὁ Συρακούσιος ἔν τινι τῶν δραμάτων ἐπ' ὀλίγον. At ex ipso hoc Athenaei loco ratione satis certa effici nequit, ipsius Aeschyli fuisse tragoediam illam, in quam cognominis comoediae parodiam intendisset Epicharmus. Nam eodem iure fieri potuisse dices, ut Epicharmus parodiae materiem e poetarum epicorum narrationibus desumserit. Tum, quod multo mihi gravius videtur, parodia illa Epicharmea, qualem Athenaeus quidem significavit, non ad totius fabulae pertractationem, sed ad sententias aliquas alterius poetae ioculariter detortas pertinuit. Id enim totius loci contextus et exempla aliorum

parodiae scriptorum ab Athenaeo allata docent. Cf. Casaubon. de poes. sat. p. 207. Sed licet concedamus, comoedia aliqua Epicharmi Aeschyleae tragoediae cognominis parodiam contineri: incertum tamen manet, quamnam Epicharmi comoediam Athenaeus l. l. significaverit. Quem hariolari in his rebus iuvat, is e pauculis, quae etiamnum supersunt, Epicharmi reliquiis Philoctetam maxime arripiat. Eum enim et vulnerum doloribus et exilii taedio lamentantem facere tragoedia sua debebat Aeschylus: verum idem in comoedia Epicharmea nebulo est, qui vorandi et bibendi cupidine vehementer laborat. Quanquam multum a me absit, ut in re tam incerta certum quidquam affirmare audeam.

Sed quorsum haec omnia de Siculis et Hierone et Aeschylo aliisque rebus disputavi? Ut, qui coram Siculis tum temporis prae reliquis Graecis eximio cultu nobilitatis et regibus magnificentiae studiosissimis fabulas ediderit, quique tragicorum poetarum principem, Aeschylum, ob vitia reprehendere sit ausus, eum in arte sua non exiguam praestantiam assecutum fuisse demonstrarem. Atque rectissime ratiocinationem meam me confecisse, veterum auctorum de comoediae Epicharmeae praestantia testimoniis, quae supra attuli, omnino confirmatur. Iam vero accedit grammatici anonymi, cuius libellus extat apud Aristoph. Kuster. p. XII., iudicium de Epicharmo satis memorabile. Is enim in universum de emendationibus, quas Epicharmus priscae comoediae addiderat, ita dixit: *Οὗτος ὁ Ἐπίχαρμος πρῶτος τὴν κωμῳδίαν διεῤῥιμμένην ἀνεκτήσατο πολλὰ προςφιλοτεχνήσας. τῇ δὲ ποιήσει*

γνωμικὸς ἦν καὶ φιλότεχνος. Atque quid sibi velit ille verbis τὴν κωμῳδίαν διεῤῥιμμένην ἀνεκτήσατο, iam supra p. 71. satis dilucidasse mihi videor. Restat igitur, ut et quaenam inventa et artificia ad comoediam adhibuerit Epicharmus, et qua ratione in singulis fabularum partibus pertractandis usus fuerit, quantum id per testimoniorum brevitatem et exiguum reliquiarum numerum fieri potest, inquirere incipiamus.

Itaque ut a scaena, in qua fabulas suas docuit Epicharmus, initium faciamus: aliquantum illa distabat a pulpito portabili et exiguo, in quo prisci ludiones spectacula parum praemeditata turbae circumstanti proposuerant. Efficit enim iusta comoediae Epicharmeae magnitudo atque artificiosa structura, ut pulpitum satis amplum et apparatum scaenicum satis decorum ipsi non defuisse existimem. Quodque scaenae suberat theatrum, sive ligneum id erat sive lapideum, ad spectatorum Syracusiorum multitudinem capiendam idoneum, neque a rerum splendidarnm studio, quod magnum sane in illis erat, alienum esse debebat. Fuisse autem, qui tum temporis ad scaenam eiusque partes exornandas studia sua conferrent, Phormidis, quem pulpito et histrionibus certa quaedam ornamenta adiecisse Suidae testimonio edocui, exemplo demonstrari potest. Sin vero, quae singula in scaenae rationibus emendandis effecerat Epicharmus, non nominatim veterum scriptores tradiderunt: multa tamen et scaenae attribuisse artificia poetam, quem προςφιλοτεχνήσαντα et εὑρετικὸν fuisse iudicavit anonym. apud Kuster., iustissime suspicamur. Qua quidem in re multum ille, post-

quam Syracusas venit, Hieronis studio atque cura iuvabatur. Is enim, quum Aeschylum fabulas edentem auxilio suo sustentaret, familiarem Epicharmum his rebus a poeta Atheniensi superari non passus est. Quamquam iam semel monui, fieri quoque potuisse, ut ipsius Aeschyli, quem in scaena amplificanda et exornanda quam plurima invenisse novimus, exemplum Epicharmus fuerit sequutus.

Ne vero meras de theatri Epicharmei conditione nos proferre coniecturas opineris: habemus etiamnum duo comoediarum Epicharmi fragmenta, unde, quanta fuerit pulpiti magnitudo, qualisque ornamentorum et machinarum varietas, ratione aliquanto certiori intelligere possis. Unum igitur extat apud Athen. VIII. p. 362. c. Ἐπίχαρμος ὠ θαυμασιώτατε ἐν τοῖς Θεαροῖς μέμνηται τοῦ βαλλισμοῦ καὶ ὃν μακρὰν ἐςι τῆς Σικελίας ἡ Ἰταλία. ἐν οὖν τῷ δράματι οἱ θεωροὶ καθορῶντες τὰ ἐν Πυθοῖ ἀναθήματα καὶ περὶ ἑκάςου λέγοντές φασι καὶ τάδε.

λέβητες χάλκεοι

κρατῆρες, ὀδελοί.

Quibus haecce sunt addenda e lib. IX. p. 408. d. Ἐπιχ. ἐν Θεαροῖς εἴρηκε χειρόνιβα διὰ τούτων.

κιθάρα, τρίποδες, ἅρματα, τραπέζαι χάλκεαι

χειρόνιβα, λοιβάσια, λέβητες χάλκεοι.

Nam utrumque fragmentum ita inter se cohaesisse, ut prior ille versiculus alteros una serie exciperet, quivis videt. Iam vero fabulae actum, ad quem versiculi Epicharmi modo laudati pertinent, ita fuisse comparatum tibi fingas necesse est. Prodeunt in scaenam, cuius parietem posticum templum Delphicum et ornamenta circum posita

obtinent, sacri legati, a quibus comoedia ipsa est denominata. Qui dum templi magnificentiam et donariorum multitudinem admirantur, illam suam admirationem sermonibus suis simul ostendunt. Nam uno eodemque tempore a legatis et templum conspici et verba illa admirationis plena proferri, e verbis Athenaei καθορῶντές φασι omnino liquet. Quodsi postea demum, quam templum Delphicum eiusque donaria conspexerunt, de rebus istis in alio quodam loco fuissent colloquuti: Athenaeus praeteriti formam καθιδόντες aut simile quidquam vocabulum usurpare debuisset. Itaque non facile erit, qui spectatores magna quadam imaginandi facultate id effecisse arbitretur, ut, dum actores templum propinquum eiusque ornamenta sermonibus ostendunt, illos in ipsa scaena nudum parietem oculis suis subiectum viderint quidem, sed omnino alia se videre fingere debuerint. Quapropter ut quadrarent histrionum de templo Delphico in scaena colloquentium sermones ad illa, quae re vera ob oculos posita conspicerent: templum quaeque circa erant posita donaria aut pictura in postico scaenae pariete adumbrata aut aliis machinis in postscaenio collocatis repraesentari debebant.

Ad eandem pulpiti magnitudinem et magnificentiam demonstrandam non parum facit comoediae Ἥβης γάμος particula quaedam, quae est apud Athen. lib. III. p. 85 nc. Ea est enim desumpta e colloquio deorum, quorum aliquis id agit, ut quales ad Hebae nuptias celebrandas fiant apparatus, diis circumstantibus praevie significet. Qui quum multimoda carnium, piscium, panum aliarumque

escarum genera ad epulas nuptiales faciendas apportata enarraverit: de conchis quoque et ostreis, quas Musae sive potius Neptunus attulit, sic verba facit:

. . . ἄγε δὲ παντοδαπὰ κογχύλια
Λεπάδας, ἀσπέδους, κραβύζους, βαλάνους καὶ κηκιβάλους
Τηθυνάκια, πορφύρας, ὄςρεῖα συμμεμυκότα
Τὰ διελῆν μὲν ἐντὶ χαλεπὰ, καταφαγῆν δ' εὐμαρέα
Μύας, ἀναρίτας τε κάρυκάς τε καὶ σκιφύδρια
Τὰ γλυκέα μὲν ἐντ' ἐπέθην, ἐμπάγημεν δ' ὀξέα,
Τούς τε μακρογογγέλους σωλῆνας. ἅ μέλαινά τε
Κόγχος, ἅπερ κογχόθηρα πᾶσίς ἐςιν ὡρία.
Θἄτεραι δὲ ταὶ κόγχοι τε ταί τε ἀμαθιτίδες,
Ταὶ κακοδόκιμοί τε κῆγονοι, τὰς ἀνδροφυκτίδας
Πάντες ἄνθρωποι καλέοντ', ἁμὲς δὲ λεύκας οἱ θεοί.

Ipsae autem epulae utrum in scaena ita fuerint repraesentatae, ut dii convivantes a spectatoribus conspicerentur, an, quam illae fuerint magnificae, narrationibus actorum praeviis et sequentibus poeta significaverit: id e fragmentis huius comoediae omnino mutilis non facile explicabis. Sed licet epulas illas quaeque alia insuper ad nuptias celebrandas pertinebant, ad ea, quae in postscenio aguntur, relata fuisse concedamus: hoc tamen de scaenae ornamentis me vere dicere non negabis; locum colloquii, quod inter deos de epulis nuptialibus fieri modo dixi, in urbe Olympiorum esse collocandum. Quae ut modo toti fabulae consentaneo repraesentaretur, palatia deorum, aulae, vestibula, aliaque tanto ornatu, quanto per comoediam et artium incrementa licebat, in scaenae parietibus erant exhibenda.

Neque, quae utique erat tragoediae et comoediae antiquissimae simplicitas, in omnibus fabularum diverbiis duo tantum actores colloquebantur. Ita, ut huius rei exempla aliquot proferam, in comoedia, cui titulus Ἄμυκος erat, actus inerat aliquis ita comparatus, ut tres simul actores in scaena esse atque inter se vociferari deberent. Id enim docet versiculus ex illa comoedia depromtus, quem servavit schol. Sophoc. Aiac. v. 1074.

Ἄμυκε μὴ κύδαζέ μευ τὸν πρεσβύτερον ἀδελφεόν.

Cf. Suid. s. v. κυδάζεται. Vides, tres simul Amycum, Castorem et Pollucem in scaena adesse. Cf. schol. Apoll. Rhod. II. v. 98. Et diverbium quidem ita progreditur, ut cum Amycus Castorem ignominiose sit alloquutus, Pollux Amyci contumelias omnino deprecetur. Cf. Harles. de Epich. p. 41. Tum in comoediae, quae Ἐλπὶς ἢ Πλοῦτος dicebatur, loco aliquo tres mihi videor audire histriones, qui epulantium fortasse personas sustinent. Locus autem, quem dico, apud Athenaeum est lib. VI. p. 236. e. ita emendandus: ἐκλαθόμενος, ὅτι Ἐπίχαρμος ἐν Ἐλπίδι ἢ Πλούτῳ παρὰ πότον αὐτὸν (sc. τὸν παράσιτον) εἰςήγαγεν οὑτωσὶ λέγων.

Ἀλλ' ἄλλος ὅδ' ἔςηχ' ὧδε τούτου κατὰ πόδας,
Τὸν ῥαδίως λαψῆ τυ καὶ θοινῆν γα θήν
Εὔωνον ἀεὶ σῖτον. ἀλλ' ἔμπας ὅδε
Ἄμυςιν ὥσπερ κύλικα πίνει τὸν βῖκον.

Αὐτὸν δὲ ποιεῖ τὸν παράσιτον λέγοντα τοίαδε πρὸς τὸν πυνθανόμενον.

Συνδειπνέω τῷ λῶντι κ. τ. λ.

Quatuor igitur illi priores versiculi verba sunt actoris, qui, dum et ipse in epulis est, convivae verbis τὸν ῥαδίως λαψῆ τυ hoc significat, facillime

quidem et quovis tempore parasitum permoveri posse, ut vel vilissimos cibos cum ipso comedat: sequentibus autem *ἀλλ' ἔμπας ὅδε* ipsum parasitum adstantem sive assidentem ostendit. Hic vero, dum colloquuntur illi, totus in bibendo est; mox autem ipse interroganti alterutri respondet verbis: *συνδειπνέω κ. τ. λ.* Huc demum pertinet comoediae *Ἥφαιστος ἢ Κωμασταὶ* actio illa, qua Juno sellae magicae illigata repraesentabatur. Eius enim ni plures, tres certe personae erant participes. Etenim si Suidae s. v. *Ἥρας δέσμους*. testimonium et vasculi, quod p. 46. commemoravi, picturam ad huius fabulae exemplum adumbratam sequi licet: in medio proscaenio vinculis haerebat Juno, quae contumeliae sibi illatae impatiens, non tenuit silentium. Imo vero petulantissimum filii facinus execrantem atque deorum dearumque fidem implorantem eam tibi fingas necesse est. Alterum autem, qui ad sellae latus constitit, Martem esse huius picturae interpretes dixerunt. Neque is facere poterat, quin tum cum ipsa matre, tum cum adstante ministro de Junonis calamitate verba faceret. Ni vero vehementer fallor, complures accedebant ad hoc spectaculum dei deaeque vel spectandi vel ridendi, vel adiuvandi causa. Cf. Mueller. Dor. II. p. 355.

Plures etiam, quam ternos histriones simul in scaenam aliquoties fuisse inductos ut censeam, faciunt personarum quarundam nomina, quibus actorum multitudo omnino significatur. Itaque fieri non poterat, quin septem illae Musae, quas in comoedia *Hebae nuptiis* partes quasdam sustinuisse e compluribus Athenaei locis intelligitur, simul in

scaena comparuerint, et cum alia quapiam persona sermonem conserueriut. Id autem ita factum esse opinor, ut ceteris tacentibus earum una colloquentis vicibus defungeretur. Neque profecto saltatores illi, a quibus comoediam aliquam denominatam antiquos habuisse docet Hephaestio. p. 45., cum praecipuas illius partes sustinuisse videantur, deinceps in scaenam procedebant. Imo vero ad chori modum omnes simul in proscaenio conspiciendos se spectatoribus obtulerunt. Minus etiam huius rei dubitationem admittit comoedia illa, cuius titnlus *οἱ Θεαροὶ* erat. In ea enim legatorum multitudinem, cum ad templum Delphicum accessissent, ornamenta eius esse admiratos de eisque inter se verba fecisse diserte docuit Athenaeus VIII. p. 362. c. *οἱ Θεωροὶ καθορῶντές φασι καὶ τάδε κ. τ. λ.* Sed nunc satis exemplorum est. Ita igitur hanc histrionum chori adinstar in scaenam prodeuntium turbam egisse scias, ut eorum unus cum altero, qui vel aliunde accessisset, vel ad ipsum illum chorum pertineret, colloquium facere inciperet. Qualem actorum in scaenam inductorum multitudinem si quis chorum nominare velit, equidem non prohibebo.

Verum magnopere est cavendum, ne choros istos comoediae Epicharmeae tales, quales habuit Atheniensium comoedia antiqua, fuisse opineris. Illi enim et in scaenam, neque vero in orchestram inducebantur, et cum a cantibus illis artificiosissimis, quos *μέλη χορικὰ* veteres dicebant, omnino abstinerent, iisdem, quibus ceteri actores, diverbiis et numeris utebantur. Cuius rei ut argumentum proferre ne intermittam, age videamus, quanam

ratione Musae et Theori, quos ad chori modum in scaenam prodiisse contendi, partes suas peregerint. Comoediae igitur, cuius duplex titulus *Ἥβης γάμος* et *Μοῦσαι* erat, reliquiae, quas etiamnum plus quadraginta habemus, ad unam omnes tetrametris trochaïcis sunt conscriptae. Itaque fragmentum, quod extat apud Athenaeum lib. VII. p. 320. c., ita est comparatum, ut ab ipsis Musis pronuntiatum esse videatur. Quod, ut habeas exemplum aliquod, apponere non dubito.

Αὐτὸς ὁ Ποτιδὰν ἄγων γαύλοισιν ἐν Φοινικικοῖς
Ἧκε καλλίστας σαγήνας· χ᾽ ἁλιεύομεν σκάρους κ.τ.λ.

Iam vero comoediae illius antiquioris scriptores in diverbiis numero trochaico maxime usos fuisse dixit Aristoteles. Quid igitur est certius, quam histrionem unum aliquem e choro Musarum versiculos illos, tanquam diverbii particulam, in scaena recitasse? At obiiciat aliquis, numeris trochaïcis non raro constare carmina chorica. Sed bene nobiscum factum est, ut versiculos, qui a theoris sunt pronuntiati, aliquot servaverit Athenaeus lib. VIII. p. 362. c. Audi modo: *Ἐπίχαρμος, ὦ θαυμασιώτατε, ἐν τοῖς Θεάροις μέμνηται τοῦ βαλλισμοῦ, καὶ οὐ μακρὰν ἐστι τῆς Σικελίας ἡ Ἰταλία. ἐν οὖν τῷ δράματι οἱ θεωροὶ καθορῶντες τὰ ἐν Πυθοῖ ἀναθήματα, καὶ περὶ ἑκάστου λέγοντές φασι καὶ τάδε.*

Κιθάρα, τρίποδες, ἅρματα, τραπέζαι χαλκέαι,
Χειρόνιβα, λοιβάσια, λέβητες χάλκεοι,
Κρατῆρες, ὀδελοὶ κ. τ. λ.

Videtis, hos versiculos esse trimetros iambicos. Quos quum ad partes melicas rarissime adhibitas

fuisse constet: non facile erit, opinor, qui versiculos allatos ad canticum choricum pertinuisse censeat. Imo vero et illos actor aliquis in scaena pronuntiabat.

Addam alterum huius rei argnmentum, quod per se quidem leve est, sed cum aliis coniunctum sententiae nostrae aliquid tamen ponderis adiicere potest. Namque vix opus est, ut dicam, quam artificiosa fuerit chori et comici et tragici, quem proprie eo nomine dicebant, tota conformatio, quam varia numerorum eius modulatio, quam multa metrorum melicorum genera. Cf. Hermann. elem. doctr. metr. p. 662. seqq. Iam vero in fragmentis Epicharmi, licet ea plus ducenta sint, nil nisi versus iambicos vel trochaicos vel anapaesticos deprehendes. Atque iambicorum et trochaicorum versuum exempla modo attuli. Cf. Hephaestio. ed. Gaisford. p. 45. Anapaesticos autem numeros frequentasse Epicharmum idem Hephaestio docuit l. l. Cf. Athen. lib. IV. p. 183. e. Neque profecto numerus ille solius chori erat, verum etiam ad diverbia illa accommodatissimus, quibus animorum motus vel vehementior vel alacrior erat exprimendus. Nonne igitur inde, quod praeter numeros modo dictos alii in comoediis Epicharmi prorsus non deprehenduntur, hoc est conficiendum, ipsa illa cantica chorica, qualia simul cum saltationibus artificiosissimis in orchestra Atticorum edebantur, a fabulis Epicharmeis fuisse aliena?

Verum ecce, accedit ad sententiam nostram Platonius, qui mediae comoediae poetis chorica carmina et parabases omnino abiudicavit. Ita enim ille *περὶ διαφορᾶς κωμῳδίας* apud Kusterum p. XI.

οἵ τε τῆς μέσης κωμῳδίας ποιηταὶ καὶ τὰς ὑποθέσεις ἤμειψαν καὶ τὰ χορικὰ μέλη παρέλιπον, οὐκ ἔχοντες τὰς δαπάνας τοῖς χορευταῖς παρέχοντας. Neve autem, qui posteriori aetate mediam comoediam omnino excoluerunt, poetas solos intelligi putes: idem Platonius, quum multos veteris comoediae poetas fabulas neque carminibus choricis neque parabasibus additis perscripsisse tradidit, tum huius rei exempla ab Aristophanis Aeolosicone et Cratini Ulyssibus desumta attulit. Quae enim eius verba l. l. mox sequuntur, haec sunt: Σκόπου γὰρ ὄντος τῇ ἀρχαίᾳ κωμῳδίᾳ τοῦ σκώπτειν δήμους καὶ δικαστὰς καὶ στρατηγοὺς παρεὶς ὁ Ἀριστοφάνης τοῦ συνήθως ἀποσκῶψαι διὰ τὸν φόβον Αἴολον τὸ γραφὲν τοῖς τραγικοῖς ὡς κακῶς ἔχον διασύρει. Τοιοῦτος οὖν ἐστιν ὁ Αἰολοσίκων Ἀριστοφάνους καὶ οἱ Ὀδυσσεῖς Κρατίνου καὶ πλεῖστα τῶν παλαιῶν δραμάτων οὔτε χορικὰ μέλη οὔτε παραβάσεις ἔχοντα. E postremis autem Platonii verbis hoc omnino consequitur, quibus comoediis neque carmina choriea neque parabases additae fuerint, earum argumenta vel e fabulis mythologicis desumta, vel in generali aliqua morum descriptione versata fuisse. Iam vero me ratiocinationem non prohibebis ita invertere, ut, qui poetae in comoediis suis mediae comoediae argumenta pertractaverint, eos choricis carminibus et parabasibus abstinuisse dicam. Quae cum ita sint, plurimis illis, quos significavit Platonius, Epicharmum quoque adnumerare ne dubites. Eum enim plane eadem, quae mediae comoediae poetas, argumenta fabularum suarum materiem fecisse infra demonstrabo. Cf. Dahlmann. de orig. comoed. p. 21.

Sed unde factum sit, ut comoediis Epicharmi non inesset egregium illud ornamentum, quod in choro eiusque canticis erat positum, id veterum nemo diserte dixit. Etenim quam de mediae comoediae poetis huius rei causam indicavit Platonius, defuisse choragos, qui chori instituendi sumtus suppeditarent, eam profecto neque ad Epicharmum, et poetas Doriensium, neque ad Aristophanem et Cratinum transferre conaberis. Nam, qua aetate fabulas docebant Cratinus atque Aristophanes, nondum erant, qui optimatium minas ita timerent, ut choragi comici vicibus defungi dubitarent. Epicharmus vero si impensam eiusmodi comoediae suae a munifico aliquo fautore addi voluisset: a regibus Syracusarum poesin scaenicam admodum foventibus repulsam non tulisset. Utrum igitur veram huius immutationis causam excogitaverit Platonius, uti vehementer dubito: ita eam in ipsa comoediarum diversitate inquirendam esse censeo. Nimirum chorus comicus, cum carminum phallicorum naturam omnino retineret, has maxime partes peragebat, ut homines quosdam dicteriis acerbissimis laceraret. Quales erant, si Platonio l. l. fidem habemus, belli duces male rem gerentes, iudices iniustitia infames, homines avari quique alii vitam sceleribus contaminabant. Ad eos vero cum et ipsa episodia spectare deberent: acerbiores tamen vexationes in carminibus choricis et parabasibus poetae collocare consueverant. Cf. Scalig. poet. p. 29. Iam vero comoedia Epicharmea, quippe quae vel in fabulis mythologicis comice pertractandis vel in generali quadam vitae et morum descriptione versaretur, a singulis hominibus ludi-

brio vexandis omnino abstinuit. Quo factum est, ut argumento, quod proprium quasi sibi chorus comicus vindicabat, non suppeditante ipsa carmina chorica essent omittenda. Haec igitur carmina et parabases — ita enim praeeunte Platonio, neque vero *choros* dicam, — primus omisit Epicharmus, eiusque exemplum non modo Cratinus, Aristophanes aliique antiquae comoediae scriptores, sed etiam omnes illi, qui mediam comoediam excoluerunt, poetae esse sequuti videntur.

Quanquam cantilenae, tibiarum vel citharae concentus, saltationes aliaque id generis delectamenta aliquot certe comoediis ita inserta esse debebant, ut simul cum diverbiis per vices quasdam exhiberentur. Quo factum est, ut nostratium fabulis aliquot recentissimis, quibus et saltationes et modos musicos intermiscere inceperunt, non dissimiles fuerint eiusmodi comoediae Epicharmeae. Talia enim, cum ipsi Siculi natura sua cantandi et saltandi essent studiosissimi, ad spectatorum animos delectandos maxime faciebant, et summam priscae Siculorum comoediae in eis positam fuisse supra p. 65. sqq. demonstravi. Neque, quae praecipua oblectamenta habebat priscorum ludionum spectaculum, prorsus abiicere debebat comoediae emendator. Exempla autem in promtu sunt. Itaque duas praecipue habebant antiqui comoedias Epicharmi, quas non sine plurimis saltationibus editas fuisse opinor. De quibus ita verba fecit Hephaestio p. 45. ed. Gaisford. *καὶ πρὸ Κρατίνου παρ' Ἐπιχάρμῳ, ὃς καὶ ὅλα δύο δράματα τούτῳ τῷ μέτρῳ γέγραφε* (sc. loquitur de versu anapaestico) *τούς τε Χορεύοντας καὶ τὸν Ἐπίνικιον.* Vides, alteram comoediam ab

instituit. Utrum vero ab actore aliquo ita sint pronuntiati, ut eorum, quae post scaenam agantur, narrationem contineant, an ille proscenio abiens puellarum saltantium gregem cum citharoedo in scaenam advenientem ostendat atque praenuntiet: id per brevitatem, qua Athenaei indicium laborat, diiudicare non licet.

Alterum invenisse mihi videor apud Athen. XIV. p. 619. b., ubi haecce leguntur: ἦν δὲ καὶ τοῖς ἡγουμένοις τῶν βοσκημάτων ὁ βουκολιασμὸς καλούμενος. Δίομος δὲ ἦν, ὁ βούκολος Σικελιώτης, ὁ πρῶτος εὑρὼν τὸ εἶδος. μνημονεύει δ' αὐτοῦ ὁ Ἐπίχαρμος ἐν Ἀλκύονι καὶ Ὀδυσσεῖ ναυαγῷ. Fuisse autem bucoliasmum quoddam cantilenae genus, quod ad tibiae modos ederetur, idem docuit Athen. XIV. p. 618. c. Cf. Pollux. onum. IV. segm. 56. Saltationem etiam hominum rusticorum satis lepidam huic cantilenae pleramque additam fuisse constat. Cf. Meurs. orch. s. v. βουκολίασμος. Iam vero quaeritur, qua ratione factum sit, ut bucoliasmi in comodiis illis auctorem Diomum commemoraverit Epicharmus. Atque Alcyonis comoediae tam pauca restant, ut inde auxilii quidquam repetere nequeas: alteram autem, quae ab Ulysse naufrago erat denominata, ita comparatam fuisse novimus, ut res eius pleraeque in agris et prope villam Eumaei actae fuerint. Personas igitur fabulae primarias Ulyssem et Eumaeum fuisse quum e diverbio illorum satis copioso, quod extat apud Diogen. Laert. III. segm. 78., liquido intelligatur: secundarias partes pastores aliosque homines rusticos sustinuisse opinamur. Quibus in scaenam inductis id assequutum fuisse Epicharmum profiteberis,

ut partim actionem aliquam primariam, partim vero vitae rusticanae negotia, ludos, delicias fabula sua repraesentaret. Quocirca fortasse nonnulli idyllii speciem quandam in antiquissimis Siculorum comoediis positam fuisse coniecerunt. Cf. Schoell. hist. de la litterat. gr. tom. II. p. 83. Sed, ut ad bucoliasmum redeat disputatio, erat is omnino in Siculorum deliciis. Quid igitur, si bucoliasmo in ipsa scaena repraesentato actorem aliquem, ut de Diomo eius inventore colloqueretur, inductum fuisse censeo?

Ipsa autem diverbia ad sermonem, qualis tum temporis inter ipsos Siculos usitatissimus erat, efformata esse debebant. Comoediae enim poetas his quidem in rebus e vulgari hominum vita imitationis exempla repetere res est notissima. Iam vero Siculi proclivitate quadam natura ipsis insita, qua nugas et dictiones rusticitate et scurrilitate plenas effundere consuevissent, inter veteres satis erant infames. Inde enim factum esse scias, ut in statas mediae comoediae personas reciperetur etiam illa, quae nomen a iuvene Siculo duxisset. Quam quidem ita commemoravit Pollux onom. IV. c. 19. *τὰ δὲ τῶν νεανίσκων* (sc. *πρόσωπα κωμικὰ*) *πάγχρηςος νεάνισκος, μέλας νεάνισκος, οὖλος νεάνισκος, ἁπαλὸς, ἄγροικος, ἐπίσειςος, δεύτερος κόλαξ, παράσιτος, εἰκονικός, Σικελικός.* Mox autem interpretationis causa addit, iuvenem Siculum eundem, quem parasitum tertium esse. *Ὁ δὲ Σικελικός ἐςι παράσιτος τρίτος.* Atque hunc iuvenem Siculum sive parasitum tertium, quum conviciis, sannis, cachinnis iocisque petulantioribus personam suam satis insignem redderet, ad parasitos illos, quos

etiam *derisores* dicere consueverant, adnumeratum fuisse opinor. Triplex enim hoc genus hominum fuisse, praeter Pollucem diserte significavit Nonius Marcellus s. v. derisor. Huc quoque pertinet, quod Isidorus gl. voculis *momar* et *Siculus* unam eandemque rem designari docet. Cf. Scaliger ad Festum s. v. *momar*. Vossii etymol. s. v. Voculam autem *momar* Suidas et Hesychius ita sunt interpretati, ut hominem ad convicia et sannas maxime proclivem ea esse intelligendum dicerent. Accedit, quod dicteria rustica et scurrilia quamplurima erant in Sophronis mimis illis, quibus nomen γελοίους ille dederat. Id enim et e veterum de hoc mimorum genere indiciis, et ex ipsis, quae eorum supersunt, reliquiis liquido intelligitur. Qui cum Siculorum mores et sermones verissima imitatione referrent: inde etiam eorum, quae modo de Siculorum iocis dixi, confirmatio repeti potest. Quinetiam huius rei vestigia quum in omnibus fere Theocriti idylliis, tum maxime deprehenduntur in Adoniazusis, quas ad Sophronis imitationem esse perscriptas novimus. Cf. Valkenar. ad Adon. Neque possum, quin ad hanc rem explicandam adferam versiculos illos Plautinos, quibus Saturio se virgini nupturae sexcentos non Siculos sed Atticos logos daturum esse pollicetur. Sunt autem illi in comoedia Persis act. III. s. I. 31. seqq.

Pol deum virtute dicam et maiorum meum,
Ne te indotatam dicas, quoi dos sit domi.
Librorum eccillum habeo plenum soracum.
Si hoc accurassis lepide, quoi rei operam damus,
Dabuntur dotis tibi inde sexcenti logi
Atque Attici omnes, nullum Siculum acceperis.

Cuius loci quam interpretationem vulgo afferunt commentatores, logos Siculos *stultas* esse dicentes, eam unde habeant, nescio. Illi vero si Siculorum mores et iocandi genus usitatissimum aliquantum respexissent: hanc versiculis istis inesse oppositionem essent professi, ut logis Atticis sermones elegantiores sive *χαρίεντας*, ut Graeci dicunt, Siculis autem rusticiores parumque politos intelligendi essent. Neque recentiores illam Siculorum in iocando proprietatem denotare intermiserunt. Cf. Bartels. Reisen d. It. und Sic. tom. III. p. 192. Brydon. Reis. d. Sic. tom. II. p. 241.

Neque igitur mirandum est, et apud Epicharmum eiusmodi iocos atque locutiones subinde reperiri. Cuius rei specimina aliquot afferenda esse mihi videntur. Prae ceteris igitur huc pertinet locus, qui est apud Athen. IV. p. 184. f. *καὶ τὴν Ἀθηνᾶν δέ φησιν Ἐπίχαρμος ἐν Μούσαις ἐπαυλῆσαι τοῖς Διοσκούροις τὸν ἐνόπλιον.* Cf. schol. ad Pind. Pyth. II. v. 127. Quem quidem locum, uti tota fabulae istius conformatio suadet, ita interpretari conamur. Nimirum fabulae actus primarius in eo positus est, ut ad Hebae nuptias celebrandas apparetur convivium opulentissimum. Ioco autem vulgatissimo convivia, quibus epularum multitudine convivis strages quaedam parabatur, cum proeliis comparare consueverant et Itali et Siculi. Cf. Cicero Verrin. II. V., 11. Iam Minervam tibi fingas modos illos militares, castorei nomine insignes tibiis canentem, ad eosque Castorem et Pollucem proelium i. e. convivium nuptiale ingredientes: et iocum habes ad Siculorum morem accommodatissimum. Alterum, quod huc vocare non dubito,

invenies apud eundem Athen. VII. p. 277. f. Inducuntur enim in scaenam homines duo voracissimi. Quorum alter cum epulas, quas abligurierit, describere inceperit: alter, quem sub ipsum prandium rixas movens detinuit mulier, tam miserabiles lamentationes exorditur, quasi maxima omnium calamitas sibi acciderit. Audi illos:

A. Πρωῒ μέν γ' ἀτενὲς ἀπ' ἀοῦς ἀφύας ἀποπυρίζομες
Στρογγύλας καὶ δελφάκιν' ὀπτάομές κρέα καὶ πωλύπους,
Καὶ γλυκύν γ' ἐπ' ὦν ἐπίομες οἶνον.
B. Οἴμοι, μοί! τάλις
Περὶ σᾶμά με καλοῦσα κάκιςα λέγει.
A. Φοῦ τῶν κακῶν!
Ὄκκα πάρα τρίγλαι τε καὶ παχῆαι κάμίαι δύο
Διατεταγμέναι μέσαι, φάσσαι τε τοσσαῦται παρῆς
Σκορπίοι τε.

Scurrilitate autem et petulantia plena erat Megaricae fortasse mulierculae vociferatio apud Athen. VII. p. 286. d., quae viri stolidi et molliusculi caput, latera, nates adeo describere conatur. Ita enim illa:

. . . τὰς πλευρὰς οἷόν περ βατίς,
Τὰν δ' ὀπισθίαν ἔχησθα ἀτενὲς οἷόν περ βάτος,
Τὰν δὲ κεφαλὰν ὀςέων οἷόν περ ἔλαφος. οὐ βατίς
Τὰν δὲ λαπάραν σκορπίος παῖς ἐπιθαλάττιός τε οὐ . . .

Neque decentius multo Musarum aliqua de diis sermocinatur, quibus pro voracitate sua piscium etiam stercora abliguriendа esse profitetur. Illas enim haud dubie loquentes fecit Athen. VII. 320. c. καὶ Ἐπίχαρμος ἐν Ἥβης γάμῳ·

Αὐτὸς ὁ Ποτιδὰν ἄγων γαύλοισιν ἐν Φοινικικοῖς
Ἧκε καλλίςας σαγήνας. χ' ἁλιεύομεν σκάρους
Καὶ σκάρους τῶν οὐδὲ τὸ σκῶρ θεμιτὸν ἐκβαλεῖν θεοῖς.

Redolent et alia multa sermonem plebeium. Qualis est minatio illa, quam Epicharmum per iocum esse elocutum ait Athen. II. p. 60. f.

Οἷον αἱ μύκαι ἄῤ ἀποπνιξεῖσθ' ἐσκληκότες.

Huc quoque pertinet locutio: πραΰτερος ἔγωγε μολόχης, de homine mansueto proverbialiter usurpata, qua non abstinuisse Epicharmum docet Athen. II. 18. e. Quibus addi possit iuramentum illud per brassicam, quod idem Athenaeus servavit lib. IX. p. 370. b. καὶ Επίχαρμος ἐν Γᾷ καὶ Θαλάσσᾳ.

Ναὶ μὰ τὰν κράμβαν!

Quanquam huic postremae dictioni parodiae aliquid inesse non negaverim. Nam parodiis Syracusios maxime fuisse delectatos, liquido intelligitur ex Alexandri Aetoli testimonio apud Athen. XV. p. 699. f. Cf. Scaliger. poet. p. 116.

Quin etiam non defuisse inter Graeculos elegantiae nimium studiosos, qui Epicharmi ista in dicendo rusticitate nausearent eamqne versiculis suis deriderent, haud scio an vere contendam. Plerumque enim ita faciunt in iudicando homines animi pusilli, ut leviores maculas, si quae cum eximiis virtutibus coniunctae sint, his omnino praetermissis vituperio suo adaugere studeant. Itaque schol. Vict. ad Homeri Il. epigramma incerti et aevi et auctoris asservavit, cuius haec videtur esse summa, ut Epicharmi tum ob vocularum scurrilium abusum, tum ob nimiam in disputando argutiam cavillationem et parodiam contineat. Est autem epigramma hoc:

Εἰμὶ νεκρός· νεκρὸς δὲ κόπρος· γῆ δ' ἡ κόπρος ἐστίν·
Εἰ δὴ γῆ νεκρός ἐσ'· οὐ νεκρὰς, ἀλλὰ θεός.

Cf. Heine. ad Il. tom. VIII. p. 333.

Ad iocos istos sermonibus Epicharmeis insertos accedebant argutiae et plurimae eti ad comoediam omnino accommodatae. Argutiarum enim sunt studiosissimi homines illi, quibus prae ceteris animi facultatibus magnum ingenii acumen inest. Erant autem Siculi acumine ita insignes, ut a plerisque veterum scriptoribus per excellentiam quandam *acuti* dicerentur. Cf. Cicero de divin. c. IX. Brutus c. XII. Verr. III. 8. ad Quint. fr. II. ep. 13. Tuscul. I. 8. 15. Coelius apud Quinct. VI. 3. Inde factum est, ut illi in colloquiis suis et antithetis et vocabulorum lusibus, quos dicunt, et proverbiis et fabulis et aliis id genus dicteriis frequentissime uterentur. Quae omnia in Epicharmi reliquiis, quamlibet illae sunt exiguae, etiamnum deprehendere licet. Itaque antithesin satis lepidam continent versiculi, qui sunt apud Stobaeum in floril. tit. I. l. 14. Aristot. metaph. XIII. p. 286. ed. Brandis. Clem. Alex. strom. VI. p. 264. 35. Erat autem antithetorum lusus adeo in hominum deliciis, ut Epicharmus non raro ioci causa sententias enuntiaret, quae antithesin continere viderentur quidem, neque vero continerent. Cuius rei exemplum omnino idoneum servavit Demetr. Phaler. de elocut. c. 24. Ἔςι δὲ κῶλα, ἃ μὴ ἀντικείμενα ἐμφαίνει τινὰ ἀντίθεσιν διὰ τὸ τῷ σχήματι ἀντιθέτως γεγράφθαι· κάθαπερ τὸ παρ' Ἐπιχάρμῳ τῷ ποιητῇ πεπαιγμένον· ὅτι Τόκα μὲν ἐν τήνοις ἐγὼν ἦν, τόκα δὲ παρὰ τήνοις ἐγών. τὸ γὰρ αὐτὸ μὲν γὰρ εἴρηται καὶ οὐδὲν ἐναντίον. Cf. Aristot. rhetor. lib. III. c. 9.

Ex eodem illo argutiarum studio promanasse scias vocabulorum lusus creberrimos, quorum spe-

cimina duo etiamnum in Epicharmi reliquiis habemus. Qui cum maxime in eo positi essent, ut in eadem voce pronuntianda diversus agnosceretur sensus: colloquentium errores et dissensiones modo satis iocoso efficere debebant. Quale est, quod huius rei attulit exemplum Athenaeus e comoedia *Λόγος καὶ Λογεῖνα* lib. VIII. p. 338. c. *Τοιαῦτα δὲ καὶ Ἐπίχαρμος παίζει ὥσπερ ἐν Λόγῳ κ. Λ.*

Α. Ὁ Ζεὺς μ' ἐκάλεσε Πέλοπί γ' ἔρανον ἑστιῶν.
Β. Ἦ παμπόνηρον ὄψον, ὦ τᾶν, ὁ γέρανος.
Α. Ἀλλ' οὔτι γέρανον, ἀλλ' ἔρανόν γέ τοι λέγω.

Vix autem opus est, ut moneam ancipitem vocabulorum *γ' ἔρανον* sensum in eo esse collocatum, ut alter iis symbolam, alter gruem sive potius tormentum aliquod intelligat. Cf. Hesych. et Etym. magn. s. v. *γερ.* Lepidum etiam ioci eiusmodi specimen idem Athenaeus servavit lib. II. p. 49. c. Ubi convivas aliquot iocari de mensa, quae quidem nomen *τρίπους*, ipsa vero quatuor habeat pedes, e totius loci contextu et exemplis allatis liquido intelligitur. Ita igitur ille de Epicharmo: *Ἐπίχαρμος*:

Α. Τί δὲ τάδ' ἐστι;
Β. δηλαδὴ τρίπους.
Α. τί μάν; πόδας οὐκ ἔχει
Τέττορας; οὐκ οὖν ἐστι τρίπους, ἀλλὰ γ' οἶμαι τετράπους.
Β. Ἔστι δ' ὄνομ' αὐτῷ τρίπους.
Α. τέττοράς γε μὰν ἔχει πόδας.
Οἰδίπους τοίνυν ποκ' ἦσθα· καὶ αἰνίγματ' οὐ νοεῖς;

Neque ipse Aristophanes hunc de tripode lusum sprevit. Addidit enim Athenaeus l. l. haec: *καὶ Ἀριστοφάνης.*

A. . . . τραπέζαν οὖν ἡμῖν φέρε,
Τρεῖς πόδας ἔχουσαν· τέττορας δὲ μὴ χέτω.
B. Καὶ πόθεν ἐγὼ τρίπουν τραπέζαν λήψομαι;

Proverbia autem quum ab Epicharmo in comoediis saepissime usurpata esse dicerem, non illa dicebam, quae cum praecepta potius essent dicenda, aut ipse invenerat aut a philosopho aliquo perceperat. Nam sententias philosophicas fabulis Epicharmeis insertas fuisse quamplurimas supra vidimus. Imo vero illud proverbiorum genus, quod in ore omnium atque e rebus maxime vulgaribus depromtum erat, a personis scaenicis non raro enuntiari fecit. Haec autem vulgi, ut dicam, proverbia, quum sermonem plebeium omnino sapiant, a quovis homine primo aspectu agnosci queunt. Quale est, quod de homine parasito Epicharmus dixit apud Athen. IV. p, 139. 6.

. . . . ἐκάλεσε γάρ τύ τις
Ἐπ᾽ ἄϊκλον ἑκών· τὺ δὲ ἑκὼν ᾤχεο τρέχων.

Id autem dicterium proverbialiter ab ipsis spectatoribus enuntiatum fuisse inde sequitur, quod eandem sententiam et in aliis fabulis ab Epicharmo usurpatam deprehendimus. Itaque eadem plane verba invenies in comoedia Periallo. Haec enim addidit Athen. l. l. *καὶ τὰ αὐτὰ εἴρηκεν ἐν Περιάλλῳ.* Neque dubito, quin de proverbio aliquo ab Epicharmo enuntiato dixerit Suidas s. v. *ἀφ᾽ ἱερᾶς. παροιμία. κινήσω τὸν ἀφ᾽ ἱερᾶς. λέγεται δέ τις παρὰ τοῖς πεσσεύουσιν ἱερὰ γραμμή. οὕτως Ἐπίχαρμος.* Vide etiam, annon plebeium genus dicendi redoleat versiculus ille, qui extat in Stobaei florileg. tit. X. l. 13.

Ἁ δὲ χεὶρ τὴν χεῖρα νίζει. (δός τι καὶ τι λάμβανε.)

Ubi, quae uncis inclusa sunt verba, apposita videntur a sciolo quopiam, qui proverbii lepidissimi sententiam interpretari conatus est. Ad eundem fortasse censum revocanda est illa de malis debitoribus sententiuncula, quam servavit auctor Etymol. magn. s. v. ςατῆρες. ὅθεν οἱ ςατῆρες οἱ χρεῶςαι, οἷον Ἐπίχαρμος Προμηθεῖ·

Πολλοὶ ςατῆρες· ἀποδοτῆρες οὐδὲ εἷς.

Quibus omnibus addere licet ea, quae sunt apud Stobaeum floril. tit. XXXVIII. 21. Polluc onum X. 71.

Exornabat etiam comoedias suas Epicharmus fabulis illis sive dicteriis, quae Sybaritica apophthegmata dicere veteres consueverant. Ita enim Suidas s. v. Συβαρίζειν. καὶ Συβάρεια αποφθέγματα παρ᾽ Ἐπιχάρμῳ. καὶ Συβαριτικοὶ λόγοι οἱ Αἰσώπειοι. Quibus in verbis Suidam, ut naturam τῶν Συβαρείων ἀποφθεγμάτων explicaret, verba καὶ Συβαρ. λόγοι οἱ Αἰσώπειοι apposuisse, nemo est qui non intelligat. Etenim cum fabulae illae Sybariticae brevitate sua dicterii potius, quam iustae narrationis speciem haberent, vocabulis λόγοι Συβαριτικοὶ ἀποφθέγματα Συβαριτικὰ et Συβαρίτιδες unam eandemque rem designari scias. Videndum est igitur, qualis harum fabularum fuerit proprietas. Atque ex indicio, quod modo e Suida attuli, parum quidem accurate perscripto hoc certe consequitur, aut aliquam fuisse fabulis Sybariticis cum Aesopiis omnino similitudinem, aut certa quaedam Aesopi dicteria cum fabulis Sybarit. Suidam composuisse. Qui vero scriptores has fabulas accuratius explicare sunt conati: eos quidem non omnino verum, aliquid tamen veri omnes dixisse videbis. Itaque de fabulis

Sybariticis Bdelycleonem quendam sermocinantem fecit Aristophanes in Vespis v. 1258.

. . . . . ἦν ξυνῇς ἀνδράσι καλοῖς τε κἀγαθοῖς.
Ἢ γὰρ παρῃτήσαντο τὸν πεπονθότα,
Ἢ λόγον ἔλεξας αὐτὸς ἀστεῖόν τινα,
Αἰσωπικὸν γέλοιον ἢ Συβαριτικὸν,
Ὧν ἔμαθες ἐν τῷ ξυμποσίῳ, κᾆτ' ἐς γέλων
Τὸ πρᾶγμ' ἔτρεψας, ὥς ἀφείς σ' ἀποίχεται.

Quibus e verbis (sc. γέλοιον Αἰσώπειον ἢ Συβαριτικὸν) hoc omnino effici debet, fabulas Sybariticas plerasque ioci aliquid continuisse. Etenim quod mox l. l. v. 1412. sequitur γέλοιον Aesopium, cum ab Aesopiarum fabularum conformatione omnino recedat, satis iocosum est et dicteriis Sybariticis infra apponendis perquam simile. Alii vero fabulas Sybariticas ita descripserunt, ut earum argumenta e rebus humanis desumta esse dicerent: alii denique Aesopiis multo breviores et contractiores illas esse confirmarunt. Ita enim scholiasta ad Aristoph. Av. v. 471. τῶν δὲ μύθων οἱ μὲν περὶ ἀλόγων ζώων εἰσὶν Αἰσώπειοι, οἱ δὲ περὶ ἀνθρώπων Συβαριτικοί· εἰσὶ δέ τινες, οἳ τοὺς βραχεῖς καὶ συντόμους λέγουσι Συβαρίτιδας, κάθαπερ Μνησίλοχος ἐν Φαρμακοπώλῃ. Cf. Aphthonii comment. apud Bulliald. ad Theon. de Musica p. 265. Quorum sententiae singulae, si ad summam quandam fuerint coniunctae, hanc fere fabulae Sybariticae notionem efficient, ut proverbium eam esse dicamus sive dicterium coniunctum cum brevissimo et iocoso illius rei, quae hominem quempiam ad id enuntiandum adduxerit, indicio. Atque omnino quadrare vides hanc fabularum Sybariticarum descriptionem ad hominum Italorum ingenium, quos pro miro suo breviloquentiae et

acuminis studio sententiis breviter et acute enuntiatis magis, quam narrationibus iuste pertextis delectatos fuisse satis novimus. Quam ut magis etiam comprobemus, duo illa fabulae Sybariticae exempla ab Aristophane servata apponere non dubito. Quorum prius, quod in Vespis est v. 1438., Philocleonem ita enarrantem fecit:

Ἀνὴρ Συβαρίτης ἐξέπεσεν ἐξ ἅρματος
Καί πως κατεάγη τῆς κεφαλῆς μέγα σφόδρα.
Ἐτύγχανεν γὰρ οὐ τρίβων ὢν ἱππικῆς,
Κἄπειτ᾽ ἐπιστὰς εἶπ᾽ ἀνὴρ αὐτῷ φίλος·
Ἔρδοι τις ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην.

Alterum autem eadem in fabula v. 1445. idem Philocleo refert:

Φιλ. Ἄκουε, μὴ φεῦγ᾽· ἐν Συβάρει γυνή ποτε
Κατέαξ᾽ ἐχῖνον — Κατηγ. ταῦτ᾽ ἐγὼ μαρτύρομαι.
Φιλ. Οὑχῖνος οὖν ἔχων τιν᾽ ἐπεμαρτύρατο.
Εἶθ᾽ ἡ Συβαρῖτις εἶπεν· εἰ, ναὶ τὰν κόραν,
Τὴν μαρτυρίαν ταύτην ἐάσας, ἐν τάχει
Ἐπίδεσμον ἐπρίω, νοῦν ἂν εἶχες πλείονα.

Cf. Grauerti dissert. de Aesopo p. 69. seqq.

Habebant Siculi quoque fabellas, quae naturam fabularum Sybariticarum modo descriptam omnino referrent. Quale est, quod, unde semel detrimentum venerit, eas res, ne iterum noceant, a plerisque caveri fabula ostendebant lepidissima, quae extat apud Suidam s. v. *ὁ Σικελικὸς τὴν θάλασσαν*. *Σικελικός, φασιν, ἔμπορος σῦκα ἄγων ἐναυάγησεν, εἶτα κατὰ πέτρας καθήμενος ὁρῶν τὴν θάλασσαν γαληνιῶσαν, ἔφη, οἶδ᾽, ὃ θέλεις, σῦκα θέλεις.* Eiusmodi autem sententias sive historiolas Siculi quum plurimas suo ingenio effictas haberent: tum similes illas, quae a propinqua Sybaritarum gente prove-

nerant, haud dubie frequentabant. Quocirca non miraberis, et hoc dicteriorum genus e vulgi sermonibus in comoedias suas Epicharmum transtulisse. Utrum vero inter reliquias Epicharmi, quas etiamnum habemus, sint, quae fabulis illis Sybariticis iuste adnumerari queant, id equidem non facile diiudicabo. Quanquam duo eius fragmenta et argumento et conformatione sua efficiunt, ut ad exempla ex Aristophane modo allata non parum appropinquare videantur. Quorum alterum invenies apud Athenaeum II. p. 36. d. et Suidam s. v. *οἶνος*. Ibi enim audire mihi videor aliquem socio sive amico narratiunculam explicantem, qua e compotationibus vulgo rixas aliaque mala exoriri docetur. Haec igitur narratoris verba sunt:

A. ἐκ μὲν θυσίας
Θοίνη, ἐκ δὲ θοίνης πόσις ἐγένετο.
B. Χαρίεν ὥς γέ μοι.
A. Ἐκ δὲ πόσιος κῶμος, ἐκ κώμου δ' ἐγένετο θυανία.
Ἐκ δὲ θυανίας δίκη 'γένετ', ἐκ δίκης δὲ καταδίκη,
Ἐκ δὲ καταδίκης πέδαι τε καὶ σφάκελος καὶ ζημία.

Alterum servavit Clemens Alexandr. strom. VI. p. 263., quod mutilum omnino et corruptum ita concinnavit Sylburgius:

Αἲ αἲ τύχας, ὦ θύγατερ ὥς σ' ἀπώλεσα
Νέῳ συνοικίσας σε τὰν παλαιτέραν.
Ὁ μὲν γὰρ ἄλλην δῆτα λαμβάνει τινὰ
Νεανίδ', ἄλλον μαςεύει πόσιν.

Vides, hic aliquem exemplum a misero patrefamilias, qui filiam male collocaverat, petitum proferre, quo pares paribus matrimonio esse iungendos docere conatur. Quodsi talia effata aliquis

Sybaritica dicere velit: is non prorsus inepte facere mihi videbitur.

Verum Siculi, ne in suis eos substitisse censeas, cum quovis dicteriorum genere mirum quantum delectarentur, aliena etiam cupidissime percipiebant. Itaque quae septem sapientum sententiae dicebantur, cum apud omnes fere Graecos essent vulgatissimae, earum ad Siculos haud dubie notitia pervenerat. Etenim et ex hoc genere dicteriorum desumta nonnulla in comoediis Epicharmum proposuisse, certissimum est, siquidem ex uno illo exemplo, quod Clem. Alex. servavit, plura etiam fuisse recte statuimus. Ita igitur ille strom. VI. p. 266. *τί δὲ; οὐχὶ καὶ Χίλωνος τοῦ σοφιςοῦ ἀποφθεγξαμένου· Ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα, Ἐπίχαρμος τὴν αὐτὴν γνώμην ἑτέρῳ ὀνόματι προηνέγκατο εἰπών· Ἐγγύα ἄτας θυγάτερ ἐς', ἐγγύα δὲ ζαμίας.* Neque aliorum poetarum sententias vel acumine vel facetiis insignes Epicharmus comoediis suis subinde non inspersit. Quale est, quod qui tum temporis iamborum scriptores famam aliquam erant consequuti, eorum ad dicteria Epicharmus hinc illinc provocavit. Cuius rei exemplum attulit Athenaeus lib. VII. g. 282. 6. *Επίχαρμος ἐν Ἥβης γάμῳ.*

Καὶ σκιφίας χρόμιός θ' ὅς ἐν τῷ ἦρι καττὸν Ἀνάνιον
Ιχθύων πάντων ἄριςος, ἄνθιας δὲ χείματι.

Erat autem Ananius iamborum scriptor antiquissimus, et eorum, quos claudicantes dicunt, inventor. Cf. Hephaestio p. 15. ed. Gaisford., Schweighaeuseri animadv. ad Athen. tom. II. p. 36. Aristoxenum quoque Selinuntium, poetam perquam antiquum, qui et ipse iambos perscripserat, commemoravit Epicharmus in comoedia *Λόγος καὶ*

Λογεῖνα. Ita enim Hephaestio p. 45. *Ἀριστόξενος δὲ ὁ Σελινούντιος Ἐπιχάρμου πρεσβύτερος ἐγένετο ποιητής, οὗ καὶ αὐτὸς Ἐπίχαρμος μνημονεύει ἐν Λόγῳ καὶ Λογείνᾳ.*

Οἱ τοὺς ἰάμβους κἀττὸν ἀρχαῖον τρόπον,
Ὃν πρᾶτος εἰσηγήσαθ' Ὡριστόξενος.

Sed plura ad naturam diverbii Epicharmei describendam addere prohibet reliquiarum, quae nunc habemus et paucitas et brevitas. Omnino autem hanc censeo eius fuisse conformationem, ut verissima aeque ac iucundissima vitae et morum imitatio eo contineretur.

Unde quae necessario exoriebatur, mira rerum varietas effecit, ut quae memorabilia e mythologia, moribus, institutis, legibus, litteris adeo et artibus depromi possent, aliquatenus notarentur. Restat igitur, ut unicum illud, quod huius rei argumentum inveni, suppeditem. Nimirum eadem fere, qua Epicharmus, aetate clarus erat inter cives Rheginos pictor quidam, cuius nomen Sillax erat. Verum ecce, hunc etiam virum alicubi Epicharmus commemoraverat, siquidem fidem habes Athenaeo V. p. 210. 6. *Οὕτως καὶ Πολέμων ὁ Περιηγητὴς εἶπεν ἐν τρίτῳ τῶν πρὸς Ἀδαῖον καὶ Ἀντίγονον ἐξηγούμενος διάθεσιν ἐν Φλιοῦντι κατὰ τὴν πολεμάρχειον στοὰν γεγραμμένην ὑπὸ Σίλλακος τοῦ Ῥηγίνου, οὗ μνημονεύουσιν Ἐπίχαρμος καὶ Σιμωνίδης.*

Sermo autem, quem ad fabulas suas omnino adhibuit Epicharmus, is est, quo tum temporis homines Siculi utebantur. Duplex enim sermonis Dorici genus fuisse statuunt grammatici; unum antiquius, quod asperum et rusticitate plenum, alterum recentius, quod facilius et ad Ionicum

sermonem emollitum fuerit. Illo igitur Epicharmum et Sophronem, hoc Theocritum usos esse tradunt. Quod ni ipsae illorum poetarum reliquiae docerent: scholiastae de hac re testimonium sufficeret, quod in edit. Rom. Jac. Caliergi argumento primi idyllii Theocr. subiectum est. Ita enim ille: *Δωρίδι καὶ Ἰάδι διαλέκτῳ χρῆται ὁ Θεόκριτος, μάλιςα τῇ ἀνειμένῃ καὶ χθαμαλῇ Δωρίδι παρὰ τὴν τοῦ Ἐπιχάρμου καὶ Σώφρονος. οὐ μὴν ἀπολιμπάνεται καὶ Αἰολίδος.* Neque multo post haec leguntur: *ἄλλως. Ἰςέον ὅτι ὁ Θεόκριτος Δωρίδι διαλέκτῳ κέχρηται τῇ νέᾳ. δυὸ γάρ εἰσι, παλαιὰ καὶ νέα. καὶ ἡ μὲν παλαιὰ τραχεῖά τίς ἐςι, ἡ δὲ νέα, ᾗ καὶ Θεόκριτος χρᾶται μαλθακωτέρα καὶ εὐκολωτέρα.* Cf. Koen. ad Greg. Corinth. p. 359. Accedit, quod, quum multi Graecorum sermone Doriensi uterentur, ille tamen, qui Siculorum erat, a Graecae linguae puritate atque elegantia longissime aberat. Unde ob soloecismos, quibus immistis Doriensium ille sermo abundabat, triplicem eum veteres quidam dixerunt. Cf. Appulei. florid. II. 13. Salmas. de ling. Hellen. p. 462. Taubmann. not. ad Plautum. p. 686. 1. Quo cum Epicharmus uti deberet: non est mirandum, nonnulla inter eius reliquias vocabula inveniri, quae prorsus latinam neque vero Graecam originem prae se ferant. Alia vero licet Graecam habeant originem, significationem tamen habent omnino diversam ab ea, quae iis a Graecis hominibus vulgo tribuebatur. Huc adde, quod in nonnullis vocabulis a rationibus grammaticis, quas plerique sequebantur, aliquantum ille recedebat. Cf. Thom. Magist. s. v. *τὸν λάρυγγα*. Photii lexic. s. v. *ψύλλα*. Photii biblioth. p. 1582. ed. Hoesch. Lobeck. ad Phrynichum

p. 65. et p. 108. Wolf. mus. antiq. stud. p. 355. a. p. 356. b. p. 366. b. Neque etiam vitii illius, quod maxime in hominibus rusticis deprehenditur, ut vocabula non plena, sed mutilata et quasi decurtata eloquantur, vestigia in Epicharmeis vocabulis desunt. Luculenta autem huius rei exempla habes apud Suidam s. v. ἄλφι. et Strabonem lib. VIII. p. 364. ed. Almel. Cf. Becker. anecd. I. p. 381. Quibus quidem rebus factum esse opinor, ut sermo eius pingue quiddam et peregrinum auribus Graecorum sonaret. Sed de hisce omnibus plura disserere nolo. Nam inter fragmenta altero volumine proponenda satis est exemplorum, quibus modo dicta confirmari queant.

Verum omnino aliud est id genus vocabulorum, quae Epicharmus a iusta conformatione vel significatione ioci causa declinasse videtur. Quale est, quod ut muliercularum fortasse Syracusiarum vitiosam elocutionem imitaretur, vocabuloram literas transponeret. Ita enim auctor Etymol. magn. I. p. 197. l. 54. Σώφρων καὶ Ἐπίχαρμος τὸ βαπτίζω βιπτάζω λέγουσιν. Cf. Valkenar. ad Adon. p 17. Neque iocosa non est perversa illa comparativi αὐτότερος conformatio, cuius exemplum asservavit Apollon. Alex. de pronom. s. v. αὔταυτος· ὡς ἐν Ἀλκύονι Ἐπίχαρμος· Αὐτότερος αὐτῶν. Cf. Wolf. mus. ant. stud. p. 340. B. Huc quoque pertinet vocabulum Φρύγιον, quod, cum duplicem habeat significationem, ad ioculum movendum ab Epicharmo in comoedia Κωμασταῖς usurpatam esse refert Hesychius s. v. Φρύγιον ἱστόρησον. Nimirum vocabulum illud, quum teste Hesychio l. l. ξηρὸν ξύλον significet, idem vero de veste quadam mu-

liebri dici a Polluce lib. VII. p. 337. demonstretur, male intellectum errores efficere poterat perquam ridiculos. Deinde ad iocum spectare videtur usus vocabulorum κόλαφος et κόνδυλος, quibus paedagogos ab Epicharmo fuisse designatos refert Hesychius s. v. Cf. Eustath. ad Odyss. p. 1817. ed. Basil. Neque non lepide immutata erat significatio vocabuli ϛατὴρ, quo Χρεωϛὰς Epicharmus denotabat. Cf. Etymol. magn. s. v. ϛατήρ. In aliis demum vocabulis rerum obscenarum significatio inest ridicula. Huc pertinet vocabulum ἄγκυρα, quo membrum virile ab Epicharmo significatur. Ita enim Hesychius s. v. ἄγκυρα, τὸ αἰδοῖον παρ' Ἐπιχάρμῳ. Cf. Becker. anecd. I. p. 209.

Eundem tamen, licet sermonem asperum atque incultum tractaret, in epithetis nominibus apponendis elegantissimum fuisse testatur Demetrius Phalereus de eloc. verb. Cf. Vossius de poetis gr. c. III. p. 33. Cuius rei, quum specimina suppeditant quamplurima, aliquot certe proferre non dubito. Itaque mirum quantum placet ille, cum ῥίνας dixerit τραχυδέρμονας apud Athen. VII. p. 286. c., ὀξυρύγχους ῥαφίδας Athen. VII. p. 304. c. μεγαλοχάσμονας τε χάννας κἀκτραπελογάϛορας ὄνους Clem. Alexandr. paed. II. p. 56., συνόδοντας ἐρυθροποικίλους Athen. VII. p. 322. b. καπυροτρώγονα κάρυα Athen. II. p. 52. b. Cf. Athen. IX. 398. d., III. 105. b., IX. 389. a., VII. 304. e., II. 58. d., III. 85. d. Vides, eum quo facilius rerum describendarum proprietates designaret, epitheta e compluribus vocabulis composita effinxisse. Qua quidem in re is eo processit, ut non raro tria vocabula in unum concinnaret. Quale est, quod turdos, qui oleas

libentissime devorant, ἐλαιοφιλοφάγους κιχήλας dixit apud Athen. II. p. 65. f. Cf. Casaubon. not. ad h. l. Eodem autem loco ardeae, quae colla habent et longa et incurva, dicuntur ἐρωδοὶ μακροκαμπυλαύχενες. Saepe etiam ut rei alicuius vel bestiae vel hominis natura accuratius designetur, longior apponitur sententia. Huc refer versiculos illos, quibus echini marini describuntur, Athen. III. 91. c.

Καρκῖνοι θ᾽ ἵκοντ ἐχῖνοι θ᾽ οἳ καθ᾽ ἁλμύραν ἅλα
Νεῖν μὲν οὐκ ἴσαντι, πεζᾷ θ᾽ ἐμπορεύονται μόνοι.

Neque multo post concham quandam ita descriptam habes:

ἃ μέλαινά τε
Κόγχος, ἅπερ κογχοθήρας πᾶσίς ἐςιν ὡρία.

Qua quidem in re is mihi maxime Homerum imitatus esse videtur, quippe cuius epitheta nonnulla in versiculos suos transtulerit. Unum igitur huius rei exemplum proferre sufficiat. Homerus enim, cum summa montium cacumina ἀγάννιφα dixisset: ecce Epicharmus Jovem ναίοντα Γάργαρ᾽ ἀγάννιφα dixit apud Macrob. Saturn. v, 20.

Restat, ut qualis in metrorum usu Epicharmus fuerit, videamus. Atque ut a mensura syllabarum incipiamus, in ea tractanda forsitan iusto maiorem sibi sumserit ille licentiam, siquidem ex uno huius rei exemplo in universum aliquid effici licet. Res est igitur notissima, litteras μ et ν compositas positionem efficere, qua syllaba brevis praecedens necessario sit producenda. Iam vero Hephaestio περὶ συλλαβῶν p. 14. haec habet: ἤδη μέντοι ἡ διὰ τοῦ μν σύνταξις ἐποίησε που βραχεῖαν, ὡς παρ᾽ Ἐπιχάρμῳ ἐν Μεγαρίδι·

εὔυμνος

Καὶ μουσικὰν ἔχοντα πᾶσαν φιλόλυρος.

Cf. schol. ad h. l. Vides, syllabas eiusmodi corripere non dubitasse Epicharmum. Ipsa autem metra, quibus in comoediis usus est, ad triplex genus esse revocanda iam supra commonui. Est igitur apud eum usitatissimum illud, quos nunc trochaicos tetrametros catalecticos dicere consuevimus. Nimirum tam frequens huius metri apud Epicharmum usus erat, ut eam ipsam ob causam Epicharmium a veteribus diceretur teste Mario Victorino p. 2530. Cf. Hermann. elem. doctr. metr. p. 82. Huius igitur metri solutiones aliasque licentias omnes, quas in Graecorum comicorum fabulis se deprehendisse grammatici profitentur, apud Epicharmum creberrimas fuisse scias. Praeterea vero, quae rarius etiam in comoediis inveniuntur, Epicharmo usitata fuisse debent. Quale est, quod Hermannus l. l. p. 85. dactylum pro trochaeo poni illis tantum in locis opinatur, quae vel nomina propria vel alia vocabula non facile vitanda contineant. Epicharmus vero dactylum non modo mediis in versiculis admisit et in nominibus propriis, uti apud Athen. l. IX. p. 374. e. l. VII. 282. b.: verum etiam in septimo pede substantivum κωρυκίδα dactylum efficit versiculus ille, quem e comoedia Pithone depromtum servavit Pollux onum. X. 46. Sed quod magis etiam equidem mirabar, anapestum pro trochaeo positum saepissime in versiculis Epicharmiis inveni. Scio quidem, vel apud reliquos comoediae poetas hic illic anapaestos deprehendi: verum illi ita sunt comparati, ut in locis paribus positi facillime pronuntiari queant.

Apud Epicharmum res est omnino alia. Etenim in quovis versiculi pede praeterquam in septimo et cum dactylis etiam et tribrachis ante positis anapaestos coniunctos deprehendes. Neque mihi dicet aliquis, istiusmodi versiculos fortasse corruptela laborare, qua anapaesti irrepserint. Quod quidem mihimet ipse dixi, quum primum Epicharmi fragmenta tentarem. Sed mox anapaestos illos omnino non removendos esse mihi persuasi. Primum enim sunt inter illos versiculos, qui cum a compluribus auctoribus uno eodemque ordine iisdemque verbis afferantur, emendationem prorsus non admittere videantur. Qualis est ille, quem attulit Demetr. Phaler. de elocut. c. 24. Eundem enim invenies apud Aristot. rhet. III. c. 9. Tum versuum, quibus anapaesti insunt, tam ingens numerus adest, ut si eos emendare inceperis, emendandi finem non facile invenias. Vide modo versiculos, qui sunt apud Athenaeum lib. VII. 277. f. VII. 304. e. Diog. Laert. lib. III. 78. v. 6. et 11., quibus adeo imparibus locis positi anapaesti insunt. Inde autem factum esse opinor, ut qui e criticis recentioribus hic illic manum emendatricem Epicharmo admoverit, Toupius anapaestum impari sede positum in ipsam emendationem admittere non dubitaverit. Cf. Toup. opuscul. tom. I. p. 275.

Iambici autem versiculi, quorum numerus superest multo minor, plerique non multum venustatis prae se ferunt eo, quod neque legitimam caesuram habent, neque syllabarum solutionibus satis abstinent. Quin etiam illas leges metricas, quas ab Atheniensium poetis comicis, aut nunquam aut rarissime neglectas fuisse, grammatici docent,

Ita tribrachi et anapaesti pedum coniunctionem, quam perraram apud Graecorum poetas esse docuit Hermann. elem. p. 131. seqq., in duobus apud Epicharmum locis invenies. Cf. Athen. IX. p. 372. a. IV. p. 139. e. Neque in versibus anapaesticis eandem illi incuriam non imputabis. Etenim quod maiusculum eorum specimen habemus, id ita est comparatum, ut sive lectionem vulgatam retines, sive emendationem aliquam adhibes, in metri leges offendatur. Nimirum illud dico, quod est apud Athen. l. IV. p. 183. c. Nam quod Macrobius Saturn. V. 20. habet, id versibus anapaesticis non certa ratione adnumerabis. Vulgata igitur illius loci conformatio et dispositio ita se habet, ut pedibus anapaesticis iambici etiam immisti videantur. Cf. Schweighaeuser. animadv. ad Athen. tom. II. p. 674. Sin vero aut eam, quam ego excogitavi, aut aliam quamdam loci huius omnino contaminati emendationem sequutus fueris: numerum tamen plane iustum his versiculis non invenies. Quodsi in paucis illis Epicharmi versiculis, quos etiamnum habemus, tot in metri leges offensa deprehendimus: in universum hoc statui debet, hac quidem ex parte iusto maiorem fuisse Epicharmi negligentiam. Cuius quidem negligentiae qui rationem non haberent: emendationes attulerunt aut non veras aut superfluas.

Argumenta autem si spectas, quae comoediis suis pertractavit Epicharmus, ea ad duplex genus revocanda esse intelliges, ut quae partim e fabulis mythologicis essent repetita, partim generalem quandam vitae et morum descriptionem continerent. Unde qui ex argumentorum natura Epi-

charmo inter comoediae poetas locum assignare velit, eum ad mediae et novae comoediae, quam dicunt, adnumerare queat. Neque enim mihi dices, obstare Anonymi apud Kust. indicium, qui Epicharmum in ordine antiquae comoediae scriptorum primum collocaverit. Haec enim eius esse verba p. XII. καὶ φέρεται αὐτῶν (sc. τῶν τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιητῶν) πάντα τὰ δράματα τξέ σὺν τοῖς ψευδεπιγράφοις. τούτων δέ εἰσιν οἱ ἀξιολογώτατοι Ἐπίχαρμος, Μάγνης κ. τ. λ. Etenim grammaticum illum, quum hunc poetarum censum adumbraret, non argumentorum diversitatem, sed tempora maxime respexisse scias. Atque in universum res ita se habet. Nimirum argumenta non modo illa, quae vulgo mediae comoediae dicebantur, verum etiam ea, quae propria quasi sibi nova comoedia vindicabat, iam eo tempore, quo maxime floruit vetus comoedia, a nonnullis poetis pertractari coepta sunt. Verum quum maior, quae tum temporis editae erant, comoediarum numerus ad certos quosdam homines cavillandos pertineret: factum est, ut hoc quidem comoediae genus cum excellentia quadam vetus comoedia diceretur. Neque igitur omnes, qui veteris comoediae scriptores dicuntur, propria illa huius comoediae argumenta pertractasse opinaberis. Ita, ut mediae comoediae, quam dicunt, origines ad antiquissima tempora pertinere intelligas: non modo Cratinum atque Aristophanem, verum perquam multos eiusdem aetatis poetas fabulas eiusmodi conscripsisse refert Platonius περὶ διαφορᾶς κωμῳδιῶν p. XI. apud Kuster. Σκόπου γὰρ ὄντος τῇ ἀρχαίᾳ κωμῳδίᾳ τοῦ σκώπτειν δήμους καὶ δικαστὰς καὶ στρατηγοὺς, παρεὶς ὁ Ἀριστοφάνης

τοῦ συνήθως ἀποσκῶψαι διὰ τὸν φόβον Αἴολον τὸ δρᾶμα τὸ γραφὲν τοῖς τραγικοῖς ὡς κακῶς ἔχον διασύρει. Τοιοῦτος οὖν ἐςιν ὁ Αἰολοσίκων Ἀριςοφάνους καὶ οἱ Ὀδυσσεῖς Κρατίνου, καὶ πλεῖςα τῶν παλαιῶν δραμάτων οὔτε χορικὰ μέλη οὔτε παραβάσεις ἔχοντα. κ. τ. λ. Neque, qui multo etiam sunt posteriores mediae comoediae scriptores, poesis suae inventores praedicandos esse scias. Inter Athenienses enim primum extitisse priscum illum Cratetem, qui comicae poesis materiam a singulorum hominum cavillatione ad generales morum notationem rerumque descriptionem traduceret, quarum alias e communi hominum vita, alias autem e fabularum mythicarum cyclo petiisset, refert Aristot. poet. V. 5. τῶν δὲ Ἀθήνησι Κράτης πρῶτος ἦρξεν ἀφέμενος τῆς ἰαμβικῆς ἰδέας, καθόλου λόγους ἢ μύθους ποιεῖν. Ubi verba eius καθόλου λόγους ad generalem illam vitae descriptionem, quam dixi, pertinere vides. Cf. Meineckii quaest. scaen. p. 26. Sed Cratetem illum et Cratinum et Aristophanem aliosque, qui posterioris comoediae scriptoribus praeiverunt, multo antecessit Epicharmus. Ita, ut ille, quem Anonymus l. l. in principe loco veteris comoediae scriptorum collocavit, mediae potius et novae comoediae princeps sit dicendus.

Quin etiam Epicharmus, licet antiquae comoediae argumenta pertractare voluisset, ne potuisse quidem mihi videtur. Quas enim supra p. 70. causas attuli, cur Megarensium prisca illa ludicra a singulorum hominum irrisione prorsus abstinuissent, easdem et in Epicharmum et si qui alii comoedias inter Dorienses scripserunt, valere scias. Ille enim quamdiu Megaris comoedias docebat, ibi optimates

imperium tenebant. Quod quidem supra e Theognidis ad Siculos Megarenses fuga comprobare sum conatus. Cf. Welker. de Theogn. p. XVIII. seqq. Qui ne comoediae licentia offenderentur, eo magis erat cavendum, quum Siculos natura sua ad nimiam quandam suspicandi libidinem pronos fuisse constet. Cf. Cicero in divin. c. 9. Neque tum in singulos homines iocos intendendi opportunitas extitit, quum Megaris Syracusas Epicharmus est translatus. Ibi enim tum temporis rebus praeerant reges Gelo et Hiero, quos pro severitate sua intempestivam comoediae licentiam prohibuisse certum est. Quocirca Epicharmus, quae argumenta a priscis Megarensium ludionibus pertractari viderat, ut vel narratiunculam mythologicam traducerent, vel mores hominum ridiculos generaliter notarent: eadem et suis ipsius comoediis subiicere debebat.

Itaque ut a priore illo comoediarum genere incipiam, quas in fabularum mythicarum tractatione positam fuisse dixi: eorum naturam omnino descripsit Platonius l. l. *ἡ δὲ μέση κωμῳδία ἀφῆκε τὰς τοιαύτας ὑποθέσεις· ἐπὶ δὲ τὸ σκώπτειν ἱστορίας ῥηθείσας ποιηταῖς ἀνεύθυνον γὰρ τὸ τοιοῦτον οἷον διασύρειν Ὅμηρον εἰπόντα τι, ἢ τὸν δεῖνα τῆς τραγῳδίας ποιητήν.* Neque multo post haec addita invenies. *οἱ γ᾽οὖν Ὀδυσσεῖς Κρατίνου οὐδένος ἐπιτίμησιν ἔχουσιν, διάσυρμον δὲ τῆς Ὀδυσσείας τοῦ Ὁμήρου. τοιαῦται γὰρ αἱ κατὰ τὴν μέσην κωμῳδίαν ὑποθέσεις εἰσίν· μύθους γάρ τινας τιθέντες ἐν ταῖς κωμῳδίαις τοῖς παλαιοτέροις εἰρημένους διέσυρον ὡς κακῶς ῥηθέντας. καὶ τὰς παραβάσεις παρῃτήσαντο διὰ τὸ τοὺς χορηγοὺς ἐπιλεῖψαι χόρων οὐκ ὄντων. οὐ μὴν οὐδὲ τὰ προσωπεῖα ὁμοιοτρόπως τοῖς ἐν τῇ παλαιᾷ κωμῳδίᾳ*

κατασκευασμένοις εἰςῆγον· ἐν μὲν γὰρ τῇ παλαιᾷ εἴκαζον τὰ πρόσωπεῖα τοῖς κωμῳδουμένοις, ἵνα πρίν τι καὶ τοὺς ὑποκρίτας εἰπεῖν ὁ κωμῳδούμενος ἐκ τῆς ὁμοιότητος τῆς ὄψεως κατάδηλος ᾖ· ἐν δὲ τῇ μέσῃ καὶ νέᾳ κωμῳδίᾳ ἐπίτηδες τὰ προσωπεῖα πρὸς τὸ γελοιότερον ἐδημιούργησαν, δεδοικότες τοὺς Μακεδόνας καὶ τοὺς ἐπηρτημένους ἐξ ἐκείνων φόβους, ἵνα μήδε ἐκ τύχης τινὸς ὁμοιότης προσώπου συμπέσῃ τινὶ Μακεδόνων ἄρχοντι καὶ δόξας ὁ ποιητὴς ἐκ προαιρήσεως κωμῳδεῖν, δίκας ὑποσχῇ· ὁρῶμεν γοῦν τὰς ὀφρῦς ἐν τοῖς προσώποις τῆς Μενάνδρου κωμῳδίας ὁποίας ἔχει καὶ ὅπως ἐξεστραμμένον τὸ σῶμα καὶ οὐδὲ κατὰ ἀνθρώπου φύσιν. Vides, argumenta vel ex iis, quae poetae epici narraverant, vel ex ipsis tragoediis desumta fuisse. Neve eas tantum historias a poëtis comicis pertractatas fuisse opineris, quibus ipsi earum scriptores vel epici vel tragici ridiculum aliquid adiecissent, uti illis, quae de raptu Helenae et de Ulyssis ad Cyclopes adventu, narraverant: ipsa illa argumenta, quae tristia omnino et severa continebant, ad rationes comicas traducebantur. Quale est, quod Philoctetae historiam satis lamentabilem Epicharmus, Orestis vero facinora et septem principum in Thebas bellum Alexis Thurius comoediarum argumenta fecerunt. Cf. Athen. VII. p. 294. a. idem lib. VI. p. 247. e. (μύθους τιθέντες τοῖς παλαιοῖς εἰρημένους.) His igitur in argumentis pertexendis illi ita agebant, ut quae iam aliquantum ridicula essent, magis etiam ad risum captandum accommodarent atque longius a rerum fide revocarent: quae vero seria sive tristia essent, in contraria prorsus i. e. ridicula detorquerent. (διέσυρον ὡς κακῶς ἔχοντας.) Quum

enim in fabulis nunnullis multa (κακῶς ῥηθέντα) male enarrata esse intellexissent eo, quód rerum fidem excederent vel repugnantias etiam continerent: aut rerum ridicularum superlatione quadam aut seria detorquendo mendacia eiusmodi et repugnantias aperiebant. Quo factum est, ut eorum auctores tanquam homines mendaces vel insulsi deridendi propinarentur. Unde quae historia vel epica vel tragica prorsus ad rerum fidem pertexta esset, eam in comicam narrationem detorqueri non potuisse liquido intelligitur. Quod autem huius rei exemplum attulit Platonius, Ulysses Cratini, licet in rebus quibusdam cum narratione Homerica prorsus conveniret; in aliis tamen ab ea omnino recedere debebat. Alias enim ista fabula Homeri διάσυρμον non continuisset. Quocirca vehementer a vero aberraret ille, si quis Cyclopis Euripidei prorsus idem quod comoediae Cratineae argumentum fuisse iudicaret. Apud Euripidem enim pleraque eodem modo, quo apud Homerum, enarrata esse et res ipsa docet et auctor argumenti Cycl. ostendit. Res igitur ita se habet. Initium fabulae, quo adventus Ulyssis in Cyclopum insulam eiusque cum Polyphemo congressus edebatur, ab Homerica narratione non multum discrepasse videtur. Cf. Runkel. fragm. Crat. vet. p. 38. v. 1—15. Nisi hac in re discrimen quoddam ponere velis, quod versiculi Cratinei plerique fere Homericorum parodiam continuisse videantur. Cuius quidem parodiae luculentum specimen habes l. l. p. 39. v. 5—50. Verum inde ab ea parte fabulae, qua Polyphemus ab Ulysse inebriatus repraesentabatur, argumentum a Cratino

aliquantum fuisse immutatum debet. Id enim suadent vers. 16. 17. ab Athenaeo II. p. 68. c. servati et a Runkelio emendati, quibus colloquii, quod Polyphemum inebriatum inter et Ulyssem habebatur, particula continetur. Ille enim quum interrogaverit, ubi terrarum Ulyssem illum scilicet, qui filius Laertis sit, viderit, ipse Ulysses, qui aut nomen suum omnino occultaverat, aut certe se Laërtis filium esse negaverat, illum in insula Paro cucurbitas ementem a se deprehensum esse mentitur. Cuius quidem mendacii neque in Homeri neque in Euripidis narratione vestigium ullum reperitur. Ita ut alia mendacia aliosque dolos, quam quos Homerus enarravit, Ulyssem ad se sociosque servandos excogitantem Cratinus fecisse videatur. Accedit ipsum nomen plurale Ὀδυσσεῖς, quod efficit, ut diversitatem aliquam fabulam Cratineam inter et Homericam intercessisse statuam.

Altera autem, comica pertractatio, quam in omnimoda serii argumenti inversione positam fuisse dixi; qualis fuerit, Aeolosiconis exemplo Platonius ostendit. Nimirum Aeoli historiam illam, quam perstrinxit Aristophanes, quum a compluribus tragoediae poetis pertractatam dixerit Platonius, omnino tragicam atque ab omni iocositate alienam fuisse certum est. Iam vero quam contrariam plane his tragoediis comoediam pertexuerat Aristophanes: eam historiam fuisse opinor hominis alicuius ventosi, qui luxuriae, nugis, gloriationibus, mendaciis risum moveret. Hanc enim eius imaginem ut animo concipiam, facit mirus fabulae titulus, quem ex duobus nominibus Aeolo et Sicone conflatum esse vides. Alterum ut explicem non opus est: alterum

autem Sicon, si fidem habes Sosipatro in comoedia Ἐπιψευδομένῳ, nomen est hominis luxuriosi, grandiloqui, mendacissimi, quem coqui artis suae inventorem sive emendatorem dicere consueverant. Vid. Athen. IV, 378, a. Cf. Schweighaeuser. animadv. ad. Athen. tom. V. pag. 78. Huc faciunt etiam pauculae illae huius comoediae reliquiae, quae omnes fere ad epulas et res esculentas pertinent. Cf. Athen. III. p. 95. e. VII. 276. d.

Huius igitur comoediae scriptores licet a singulorum hominum ludibriis abstinendo fabulae festivitatis aliquid detraherent: iidem tamen hoc detrimentum facile compensabant eo, ut et ipsa argumenta et quae alia ad scaenicam repraesentationem pertinerent, effingerent iocosissima. Itaque ipse histrionum ornatus talis erat, ut personae vel nimia sua deformitate vel alia quapiam specie ab humana prorsus aliena spectatorum risum moverent. Cuius quidem rei causas Platonius cum in eo collocaverit, ut huius comoediae poëtas Macedonum triste imperium pertimuisse diceret, mirum sane mendacium excogitavit. Personas enim ceteraque histrionum ornamenta eodem modo ad risum captandum adornabant omnes poetae, quicumque vel mediae vel novae comoediae specimina exhibuerunt. Etenim et ipsum Plautum et Terentium a Macedonibus satis remotos ad Graecorum poetarum exempla ita histrionum ornamenta composuisse certum est, siquidem fidem habes picturis aliisque artium monumentis, quae ad comoedias eorum pertinent.

Quodsi Epicharmum eiusmodi comoedias perscripsisse modo contendi, eius rei argumentum, licet id e veterum indicio aliquo diserte enuntiato

repetere nequeam, ipsae eius reliquiae certissimum suppeditant. Sufficiat igitur ad ea tantum provocare, quae supra de comoediis Ἥφαιςος ἢ Κωμαςαί, Ἥβης γάμος et Φιλοκτήτης significavi. Quarum quidem in argumentis pertexendis idem ille, quod mediae comoediae scriptores, consilium hoc est sequutus, ut fabularum antiquissimarum auctores deridendos propinaret. Itaque apud Graecos homines fabella erat et antiquissima et vulgatissima, Iovem aliquando in filium Vulcanum, qui matri vinculis illigatae opem ferre conatus fuisset, ita exacerbatum esse, ut eum ex Olympo in Lemnum insulam detruderet. Ita enim. Homer. Il. I. v. 587. et Heinii not. ad h. l. Schol. Homer. ad Il. I. v. 590. Apollodor. I: III. 5. Apud alios autem et maxime apud Dorienses fabula illa circumferebatur ita immutata, ut Vulcanum ipsum Iove iubente matri sellam quandam magicam admovisse dicerent.

Tum coelicolarum ope Vulcanum ita vexatum fuisse, ut ex Olympo aliquantisper secederet. Neque tamen multo post Dionyso contigisse, ut amicum inebriatum ad Olympios reduceret. Quae quidem posterior narratiuncula cum multis aliis, tum Pindaro quoque enarrata fuisse videtur. Cf. Suidas s. v. Ἥρας δέσμος. Plato de republic. II. p. 367. Vides utramque fabellam comicas cavillationes eo magis admittere, quum serio quidem enarrata ioci tamen aliquid contineat. Quocirca non est mirandum, iam priscos illos Doriensium ludiones hanc de Iunone et Vulcano historiunculam arripuisse, quam ludicris suis petulantissimis traducerent. Epicharmus igitur historiunculae huius narratores illos, qui apud Siculos magis innotuerant, sequutus fa-

bulam posteriorem sibi desumsit ita pertractandam, ut omni et argumenti et narrationis severitate amota eam in iocum audacissimum converteret. Certe enim omnes huius comoediae partes, quantum quidem e pauculis eius reliquiis constat, ad risum et iocos procacissimos erant adornatae. Neque minus vetusta erat atque apud homines vulgata altera illa de Hercule historiola, qui cum ex hominum coetu abiisset, in Olympum receptus Hebam in matrimonium duxisset. Eam enim iam significarunt Hesiod. Theogon. v. 952. seqq. Pindar. Nem. X. 32. Nem. I. v. 110. Isthm. IV. 102. Cf. Apollodor. II. VII. 7. Haec autem de Hebae nuptiis historia licet ipsa hilaritatem quandam prae se ferret: omni tamen dignitate amissa in iocum petulantissimum tum demum conversa est, quum ludiones eam ad comicas rationes revocare incepissent. Ita iocosissima sane erat illa comoediae Epicharmeae particula, qua epulas nuptiales et immensam deorum voracitatem descripsit.

Hoc igitur comoediarum genus Epicharmus ita conformavit, ut rerum ridicularum, si quas forte in fabulis cavillandis reperisset, superlationem quandam exhiberet. In aliis autem iocositatem argumenti hanc effecit, ut tragicam aliquam historiam in partem omnino contrariam inverteret. Cuius rei luculentum exemplum comoediam eius Philoctetam habes, quippe cuius argumentum plane contrarium ei, quale in tragoediis proponebatur, fuisse videatur.

Jam vero ex me aliquis quaesiverit, quinam tandem fuerint poetae illi, quos comoediis suis Epicharmus traduxerit. Nam uti mediae comoediae

poetas, ita Epicharmum quoque in poemata male enarrata fabulas intendisse vero est simillimum. Hoc igitur explicatu non est difficile. Etenim tragoediae, dummodo Aeschyleas aliquot exceperis, tum temporis in Sicilia nondum erant editae. Neque ipsas illas Aeschyli tragoedias utrum comoediis aliquot cognominibus Epicharmus perstrinxerit, incertum est. Cf. p. 192. Verum eas licet ad Aeschylum cavillandum pertinuisse ponamus: maior tamen fabularum numerus superest, quarum argumenta aliunde desumserit necesse est. Nimirum in aliis ille traduxit Homeri fabulas, quippe quae iam circa Ol. LXIX. apud Siculos innotescere incepissent. Cf. schol. ad Pind. Nem. II. init. In aliis autem comoediae parodiam intendit in historiolas illas, quae vel a poetis antiquioribus erant concinnatae, vel ne scriptae quidem neque expolitae in ore vulgi circumferebantur.

Hoc autem loco non possum, quin pauca quaedam de sententia illorum adiiciam, qui comoedias Epicharmi fabulis Atticorum satyricis aut omnino aut aliquantum et argumento et pertractatione similes fuisse iudicarunt. Quam quidem quum multi, tum imprimis Boettig. Ideen. p. XX. Schoell. hist. de la litt. gr. II. p. 83. Groddeck. init. litt. gr. I. p. 166. commendare sunt conati. Esse autem illorum opinionem omnino falsam, ratione certissima effici potest. Nam de ea re, quod inter veteres nemo extitit, qui comoediae nomen fabulis satyricis tribueret, nil equidem dicam, quippe qui in rebus paulo obscurioribus nomina et verba a plerisque parum curari saepissime viderim. Videndum est igitur, qualis fabulae satyricae fuerit na-

tura, ut quantum ab ea differat Epicharmi comoedia, intelligatur. Leges autem, ad quas fabula Satyrica ésset concinnanda, versiculis elegantissimis edocuit Horatius in libello de arte poetica. v. 220. seqq.

Carmine qui tragico vilem certavit ab hircum,
Mox etiam agrestes Satyros nudavit, et asper
Incolumi gravitate iocum tentavit eo, quod
Illecebris erat et grata novitate morandus
Spectator functusque sacris et potus et exlex.
Verum ita risores, ita commendare dicaces
Conveniet Satyros, ita vertere seria ludo
Ne quicunque deus, quicunque adhibebitur heros
Regali conspectus in auro nuper et ostro
Migret in obscuras humili sermone tabernas,
Aut dum vitat humum, nubes et inania captet.

Cuius quidem loci summa eo redire videtur, ut duplex quasi fabulae Satyricae natura significetur. Nimirum Satyros, qui chorum efficiunt, iocis et petulantia sua risum movere; reliquas autem personas, cum a tragica dignitate aut omnino aut parum tantum recedant, actionem edere hilarem illam quidem, neque vero prorsus ridiculam.

Eandem autem versiculis illis sententiam subesse iam inter veteres iudicarunt Acron et scholiasta Cruq. ad h. l. et Diomedes Grammat. III. p. 488. Haec enim Diomedis verba sunt: *Satyros induxerunt, ludendi causa iocandique, ut simul spectator inter res tragicas seriasque Satyrorum quoque iocis et lusibus delectaretur, ut et Horatius sentit his versibus.* Ubi verba *ut simul inter res tragicas* actionis tragicae et chori satyrici diversitatem satis designant. Quibuscum omnino congruit, quod etiamnum habemus huius fabulae exemplum, Cyclops Euripideus.

In qua fabula, cum Satyri et Silenus chori satis comici partibus defungantur: Ulysses et Polyphemus personas suas ita tuentur, ut actio, licet subinde iocosa sit, neque tamen omnino a tragica dignitate sit aliena, neque, quod comoediae rationes omnino postulant, Homeri aliusve poetae parodiam contineat. Quocirca scholiasta in argumento huius fabulae diserte ait: τὰ δ' ἄλλα ὡς παρ' Ὁμήρῳ κεῖται. Qui vero inter recentiores locum Horatianum illustrare sunt conati, Casaubonus de poesi satyrica p. 90. seqq. et Welkerus Nachtrag z. Aesch. Tril. p. 322. seqq., licet de singulis quibusdam rebus inter se dissentire videantur: actionem tamen satyricam a comica multum differre eo satis ostenderunt, quod ille p. 100 eam *personarum illustrium actionem notabilem*, hic autem p. 325., *a comoediae rationibus prorsus alienam esse* dixerunt. Accedit, quod ipse sermo atque metra fabulae satyricae a comoediae licentia multum aberant. Cf. Horat. l. l. v. 234. Quem locum Casaubonus quum respiceret, sermonem Satyrorum medium inter tragoediam et comoediam dixit. Cf. l. l. p. 97. Quae cum ita sint, hoc quivis intelligit, ad tragoediae rationes magis accessisse fabulam Satyricam, quam ad comoediam. Unde non male fecisse videtur Demetrius grammaticus, qui eam τραγῳδίαν παίζουσαν dixerit. Cf. Casaubon. l. l. p. 95. Welker. l. l. p. 331. At comoediarum omnes personae sive deorum sive hominum partes sustinebant, ad rationes comicas ita erant accommodatae, ut sermone, gestu, ornatu, tota denique actione risum moverent. Iam vero neque chorum Satyris constantem habebat comoedia Epi-

charmea, neque ceterae eius personae, quae in scaenam inducebantur, ad tragoediae similitudinem neque agebant, neque colloquebantur. Inde sequitur, ut inter fabulas Epicharmi et Satyricas illas comparatio ulla institui non liceat.

Sed ut ea, quae modo de diversitate ista disserui, melius intelligantur: agedum videamus, quales primarias comoediae suae personas fecerit Epicharmus. A Jove igitur, ut antiquum quoddam proverbium sequentes initium faciamus: eum quoties poetae comici traduxerint, iam supra p. 47. demonstravi. Qui cum maxime in rebus eius amatoriis deridendis essent: Epicharmus causa paulum variata voracitatem eius immensam in comoedia Hebae nuptiis propinavit. Nimirum comoediae huius summa ad convivium opulentissimum pertinet, quod Jupiter, qui filiam Herculi in matrimonium dederat, apparare instituit. Apportatur igitur, quantum ex lescarum, quas Athenaeus enumerat, multitudine conii ci licet, immensa ferculorum copia, qua omnes dei gulae summopere dediti erant implendi. Sed, quod ipsius Jovis libidinem omnino designat, is prae ceteris convivis sibi maxime consulit eo, quod fercula pretiosissima et dulcissima sibi tantum apponi iubet. Cuius rei lepidum exemplum attulit Athenaeus VII. p. 282. d. Ubi quum piscator aliquis duos ellopes pisces obtulerit, unum sibi Jupiter arripuit devorandum, alterum sibi et Junoni reservat. Versiculos autem hosce ita emendavit Hermann. prol. de musis fluvial. Epich. et Eum. p. 10.

Τόν τε πολυτίματον ἔλλοφ', (ὃ δ' αὖτε κἄλλος ὤνιος)
Ἕνα μόνον καὶ τῆνον ὁ Ζεὺς ἔλαβε, κἀκελήσατο
Κάτθεμεν γ' αὐτῷ τέ οἱ καὶ τᾷ δάμαρτι θωτέρῳ.

Tantae autem voracitati corporis species effingi debebat omnino consentanea, ita ut ventris magnitudine, ore obeso, gestibus, amictu etiam scurrae edacissimi personam referret.

In eadem fabula et Musae in scaenam inducebantur non illae quidem Iovis et Mnemosynae filiae atque artium eruditarum praesides: verum aliis omnino parentibus ortae aliisque rebus operam dantes. Ita enim Tzetzes in fragmento de Musis, quod est in Villoisoni anecd. I. p. 294. *Ἐπίχαρμος δὲ ἐν τῷ τῆς Ἥβης γάμῳ ἕπτα λέγει θυγατέρας Πιέρου καὶ Πιμπληΐδος νύμφης. Νειλοῦν, Τριτώην, Ἀσωποῦν, Ἑπταπόλην, Ἀχελωΐδα, Τιτοπλοῦν καὶ Ῥοδίαν.* Ubi quae nomina parentibus tribuit Epicharmus *Pinguedinem* et *Impeletrinam*: iis naturam eorum et indolem designari comoediae rationibus est consentaneum. Uti autem plerumque parentum natura in liberos transfertur: ita Musas etiam hasce pinguedine et crassitudine satis conspicuas fuisse scias. Neque ad tales naturas non quadrant, quibus illae tenentur, negotia. Ea enim optime significavit poeta nominibus, quae omnia fere a fluminibus repetita esse video. Nimirum illas rei piscariae operam dare atque perpetuo in fluminibus piscosis versari, inde iustissime suspicatus est Hermann. in progr. l. p. 10. Quae causa est, cur supra p. 201. versiculos illos, qui sunt apud Athen. VII. 320. c.

. . . . χαλιεύομεν σκάρους
Καὶ σκάρους, τῶν οὐδὲ τὸ σκῶρ θεμιτὸν ἐκβαλεῖν θεοῖς.

ab ipsis Musis pronuntiatos esse dixerim. Musas igitur hasce tales fuisse tibi fingas oportet, ut quum omnimodam corporis rusticitatem, piscatricium

vestitum et instrumenta prae se ferrent, de piscibus plerumque eorumque laudibus sermocinarentur.

Cum Musis autem ad nuptias illas celebrandas accesserat Neptunus quoque, fratre quidem minor ille, verum aeque austerus. Ipse enim, qui alias dirum aquarum imperium exercere consueverat, ad tempus aliquod tridente seposito arti se dedit piscatoriae. Iuvanda enim erat immensa illa deorum gulositas, quippe quae in piscibus devorandis maxime posita fuisse videtur. Hinc naviculis Phoeniciis advectus retia nitidissima affert, quibus pisces caperentur tam iucundi, ut simul cum stercore diis essent absorbendi. Huc enim referenda est Musarum cantilena, quam affert Athen. VII. p. 320. c. Sed quod magis etiam mirere, ipsa Minerva, quae severitate et prudentia omnibus antecellit, hilare istud convivium non aversata, quantum potest, deorum petulantiam adiuvat. Nimirum tibicinae partes huic deae iniunxit poeta lepidissimus. Tibia igitur sumta numeros accinere incipit, ad quos Castor et Pollux gradus facere instituunt. Cf. Athen. IV. p. 184. f. schol. Pind. Pyth. II. v. 127. Tantopere enim decoris pristini dea obliviscitur, ut tibiis, quibus inflantis vultus deformatur, quasque ea ipsa de causa olim abiecerat, nunc quidem canere non dubitat. Reliquos autem Olympi incolas describere nil attinet; eos enim omnes laetissimis illis Hebae nuptiis affuisse et pro se quemque personam aliquam iocosam sustinuisse ex fabulae summa liquido intelligitur.

Neque hoc loco praetermittendus est Vulcanus, cuius personam ut prae ceteris ridiculam et comicam faceret, Epicharmus summa petulantia atque

audacia esse usus videtur. Qua quidem in re aliquatenus ipsi praeiverant antiquiores fabularum scriptores, uti Homerus aliique, qui Vulcanum non modo fabrum ingeniosum, sed etiam scurram, qui nugis suis Olympios exhilararet, facere consueverant. Cf. Homer. Il. I. v. 599. Verum longe distat Homericus hicce Vulcanus a scurra illo ineptissimo, qualem illum fecerat Epicharmus in comoedia Ἥφαιϛος ἢ Κωμαϛαί. Ibi enim eius personam eo consilio informasse videtur, ut quidquid ridiculi in se habent scurrae, homines importuni, leves, insulsi, imprudentes, in uno illo Vulcano ostenderet. Initio igitur fabulae Vulcanum habes scurram ita intempestive et petulanter iocantem, ut suam ipsius matrem sellae magicae illigatam teneat. Mox autem quum ceteri coelicolae a iocis ad vexandum eum et lacessendum transeant, ille tantam animi pusillitatem atque levitatem prae se fert, ut victus ex Olympo in miseram suam Lemnum secedat. Neque hanc ut illi intuleriut iniuriam, Olympiis satis est. Falli enim praeterea debet bonus scurra, ut imprudentia eius etiam rideri queat. Itaque illud negotium Dionyso iniungitur. Qui hunc dolum in eum intendit, ut ebrium factum et Sileni asino impositum volentem nolentem in Olympium abripiat. Hanc autem personae Vulcaniae iocositatem magnopere adaugebat ornatus plane scurrilis, qualem in vasculorum picturis huc pertinentibus videre licet.

Inter heroes autem, quos dicunt, non facile erat, quem magis saepiusve, quam Herculem poetae comici traduxerint. Cf. Heyne. ad Il. tom. IV. p. 575. Eum igitur, qualem in comoedia illa, cuius pri-

marium argumentum Hebae et Herculis nuptiae erant, effinxerit Epicharmus, nescimus. Nullum enim fragmentum ad Herculem aliquatenus designandum facit. Sed supersunt tamen versiculi aliquot e comoedia *Busiri*, quibus immanis eius voracitas et forma pene horrenda describitur. Sunt autem illi apud Athen. X. p. 412. b. *Φέρε, εἴπωμεν, ἐνταῦθα τοῖς προειρημένοις τὰ ἀκόλουθα, ὅτι ἦν καὶ ὁ Ἡρακλῆς ἀδήφαγος. ἀποφαίνονται δὲ τοῦτο σχεδὸν πάντες ποηταὶ καὶ συγγραφεῖς. Ἐπίχαρμος μὲν ἐν Βουσίριδι λέγων·*

Πρᾶτον μὲν αἴ κ' ἔσθοντ' ἴδοις νιν, ἀποθάνοις.
Βρέμει μὲν ὁ φάρυγξ ἔνδοθ', ἀραβεῖ δ' ἁ γνάθος.
Ψοφεῖ δ' ὁ γόμφιος, τέτριγεν ὁ κυνόδων,
Σίζει δὲ ταῖς ῥίνεσσι, κινεῖ δ' οὔατα.

Cf. Mueller. Dor. tom. I. p. 457. Quinetian Oedipus, cuius historia, quum inter tragica argumenta profecto tristissimum esset, comicam pertractationem vix admittere videatur, ita apud Epicharmum omnino alius est, ut scurram potius atque hominem ingenii inertissimi, quam regem illum sagacitate aeque atque calamitatibus eximium repraesentari putes. Extat enim apud Athenaeum l. II. p. 49. c. colloquii aliquid, unde qualis ille in comoedia fuerit, omnino intelligas. Id autem fragmentum, licet e qua comoedia desumtum sit, non indicaverit Athenaeus, ad comoediam Sphingem pertinuisse non male coniecit Casaubonus in notis ad h. l. Oedipus igitur cum alio quopiam scurra inter pocula fortasse colloquitur de mensis quibusdam, quae quum pedes haberent quatuor, tripodes tamen dicebantur. Eos autem cum inter pocula colloqui dixi, id ea de causa feci, quod in epulis et con-

viviis plerumque tripodes convivis proponebantur. Ita enim Athen. l. l. *καὶ Ξενοφῶν ὁ μουσικώτατος ἐν ἑβδόμῳ Ἀναβάσεως γράφει· τρίποδες εἰςηνέχθησαν πᾶσιν· οὗτοι δὲ ὅσον εἴκοσι κρεῶν μεςοὶ νενομημένων· καὶ ἐπάγει· μάλιςα δ' αἱ τράπεζαι κατὰ τοὺς ξένους ἀεὶ ἐτίθεντο.* Iam vero, ut ad illos redeamus, alter aenigma solvendum proponit, unde veniat, ut quae quadrupedes essent nomine, tamen dicerentur tripodes. Oedipus autem responsiunculis suis tam parum socio satisfacit, ut ob ingenii tarditatem ab eo derideatur. Haec enim illius, qui aenigma posuerat, erat exclamatio:

Οἰδίπους τοίνυν ποκ' ἦσθα, καὶ αἰνίγματ' οὐ νοεῖς.

Vides igitur, quantum hicce Oedipus Epicharmeus differat ab illo, quem cum fatale Sphingis aenigma solvisset, ad regiam dignitatem evectum miserrimam sibi cladem paravisse tragoediae poetae ostendebant.

Jam vero superest, ut quantum in altero, quod ad morum descriptionem pertinuisse posuimus, comoediarum genere excolendo Epicharmus effecerit, ostendamus. Namque illam ad hasce fabulas perscribendas accessisse, e titulis fabularum et reliquiis aliquot omnino intelligitur. Praeiverant autem et in hoc genere Epicharmo ludiones illi antiquiores, quippe qui hominum quorundam mores sermone, vultu, gestu imitari iam dudum incepissent. Quorum facile celebratissimus erat Maeso ille Megarensis, quem praeter suam ipsius personam, quae fortasse cachinnatoris erat, et servi et coqui personas invenisse refert Aristophanes Byzantius apud Athenaeum XIV. p. 659. a. Cf. p. 16. seqq. Singulas autem, quas illi personarum eius-

modi actiones edere inceperant, ad iustam fabulae magnitudinem concinnavit primus Epicharmus. Hanc enim laudem iustissime ei vindicamus, siquidem Phormis poeta aequalis, quem simul cum Epicharmo comoediam invenisse perhibent, hoc certe fabularum genus non perscripsit. Neque qui aetate paulo posterior est, Dinolochus nisi mythologicas comoedias conscripsisse videtur. Unde illas initio quidem hominibus Siculis praeplacuisse saepe sum opinatus. Quanquam hoc in universum e pauculis etiam reliquiis consequitur, quidquid habet delectationis verissima vitae, actionis, morum, sermonis adeo descriptio, id omne ad hasce fabulas Epicharmum contulisse. Quod cum ita esset, postea Sophron in mimis suis se multum ad Epicharmi exemplum conformavit. Id enim cum e multis mihi indiciis esse efficiendum videtur, tum imprimis inde, quod illi eadem non raro argumenta pertractarunt.

Sed, quod vehementer est dolendum, per reliquiarum paucitatem ne unicum quidem fabularum, quae ad hoc genus pertinent, argumentum adumbrare licet. Quanquam et harum fabularum naturam aliquatenus certe cognoscimus e comoediis Plautinis, quippe quas maxime ad Epicharmi exemplum conformatas fuisse infra omnino evincam. Quodsi igitur ab imitatore ad ipsum exemplum aliquid transferre licet: hanc imprimis harum Epicharmi comoediarum proprietatem fuisse concedes, ut artificiosa quadam atque varia rerum περιπετείᾳ delectarent. Ipsis autem, quas his fabulis pertexuit, historiolis permultum fuisse vide-

tur iocositatis. Id enim ut censeam, faciunt certae quaedam personae, quae quales fuerint, etiamnum e pauculis reliquiis facillime intelligitur. Erant igitur pleraeque illae personae ridiculae. Quale est quod nulla fere, quae ad hunc quidem fabularum censum pertinent, fuisse videtur, cui persona hominis edacis vel bibacis non fuerit intermixta. Inter paucula enim earum fragmenta vix ullum reperitur, quod non ad vorandum sive ad res aliquas devorandas pertineat. Cf. Fulgent. mythol. lib. I. p. 643. ed. van Stavern. Athen. III. p. 107. f., VII. p. 277. f., VII. p. 313. b., IX. p. 366. b., Pollux. onum. IX. 79., X. 46. Id autem unde venerit, ut scias: erat haec multa et dulcia devorandi libido illa, qua Siculi omnes fere omnibus temporibus vehementer laborabant. Itaque *mensae Siculae* escarum et ubertatem et praestantiam proverbialiter significabant apud veteres: recentiores autem Siculi quam parum hac quidem ex parte a maioribus degeneraverint, plerique, qui sua in hanc insulam itinera descripserunt, te edocebunt. Cf. tamen Brydone. Reise in Sic. u. Malt. II. p. 27. Neque raro illas in hasce comoedias induxerit personas, in quibus quidquid hominum rusticorum indoles habet iocositatis, lepidissime denotaret. Qua quidem in re is civium urbanorum ad ingenia se accommodabat, qui quantum vitae rusticanae descriptionibus delectarentur, ex eo intelligitur, quod aliquanto post Epicharmum idem argumentum ab aliis poetis denuo tractabatur. Eos autem, quos dico, Theocritum maxime atque Sophronem esse scias. Huius enim mimus aliquis *ὁ ἀγροιώτης*

inter celebratissimos erat. Cf. Athen. III. p. 86. a. VII. p. 288. a. 309. c. Illius plurima fere poemata in rusticis rebus et hominibus describendis sunt collocata. Epicharmus igitur, quem quum in alias fabulas homines rusticanos induxisse opinor, tum adeo unius comoediae primariam personam homini rustico iniunxit, eamque ab illo denominavit. Ἀγρωστῖνος enim fabula laudatur ab Athenaeo III. p. 120. d. XV. p. 682. b. et Hesychio s. v. κόλαφος. Hominum denique personas non repudiasse videtur illorum, qui insulsa et loquendi et agendi ratione astutiorum ludibria excitarent. Quales aliquot, ni vehementer fallor, inesse debebant fabulae *Megaridi*, qua hominum Megarensium maxime vita et mores propinabantur. Etenim insulsa atque stolida prae reliquis gens erat Megarensium, siquidem illae *μηχαναὶ Μεγαρικαί*, quarum specimen exhibet Aristophanes in Acharn. v. 708. dolum omnino insipidum, ab Attica metropoli ad coloniam Siculam transferre licet.

Huius autem comoediae praestantia quum non tam in historia aliqua bene pertexenda, quam in personarum quarundam indole atque moribus accuratissime describendis esset posita: fieri non poterat, quin quae personae vel descriptionis veritate vel indolis suae iocositate spectatorum animos maxime delectassent, repetita poetarum pertractatione saepius in scaenam inducerentur. Nimirum id ita fieri poterat, ut fabulae argumento prorsus immutato eadem persona vel ab eius inventore vel ab alio quopiam poeta denuo exhiberetur. Quinetiam nonnullae inter personas eiusmodi videntur fuisse, quibus tam laeta contigit spectato-

rum comprobatio, ut in quamvis fere fabulam denuo introductae illis, quas statas comoediae personas dicere nunc consuevimus, adnumerari queant. Huiusmodi autem personarum aliquot descriptionem felicissimam primum iam Epicharmum tentasse scias, siquidem in paucissimis eius reliquiis bina tamen earum exempla deprehenduntur. Altera igitur est persona hominis ebrii. Nimirum multam sane praebet delectationem sive potius ridendi materiam hominis inebriati conditio, eiusque repraesentatio eo magis a comoediae poetis comprobari debet, quum iocos nugasque variandi maximam suppeditet opportunitatem. Inter poetas comicos vero, nam in tragoedia idem iam Aeschylus fecerat, inter comicos inquam Epicharmus primus ebrium in scaenam induxit, eiusque exemplum mox est sequutus Crates ille Atheniensis teste Athenaeo X. p. 429. a. *ἀγνοοῦσί τε οἱ λέγοντες πρῶτον Ἐπίχαρμον ἐπὶ τὴν σκηνὴν παραγαγεῖν μεθύοντα, μεθ' ὃν Κράτητα ἐν Γείτοσιν.* Quo quidem in loco comoediam non diserte indicavit Athenaeus, in quam Epicharmus illam ebrii personam induxerit. Neque vero est dubitandum, quin id ille fecerit in comoediis compluribus. Itaque in illis adeo fabulis, quas ad mythologicas adnumerandas esse dixi, deis ipsis et heroibus personas ebriorum iniungere non dubitavit. Quale est, quod in Vulcano et Comissatoribus, cum totam deorum pompam vino correptam, tum maxime ipsum Vulcanum crapula vehementissima laborantem in Olympum reduci fecit. Neque alia fortasse conditio Philoctetae erat, quum laudes vini versiculo praedicaret lepidissimo:

Οὐκ ἔστι διθύραμβος, ὅκχ' ὕδωρ πίῃς.
Cf. Athen. XIV. p. 628. b. Verum multo magis huc mihi pertinere videtur comoedia illa a Polluce X. 46. laudata, quae nomen a vini apotheca *Πίθων* duxerat. Si quis enim alius, vinosus certe aliquis sive ebrius hac in fabula repraesentari debebat.

Praeter Epicharmum autem et Cratetem quamplurimos fuisse comoediae poetas, qui ebriorum personas et actiones in scaena repraesentaverint, ut censeam, omnino facit loci ex Athenaeo modo laudati contextus. Neque inter comicorum reliquias exempla desunt, quibus hanc meam sententiam commendare queam. Quinetiam ita denique praeplacere incepit ista ebrii persona, ut extiterint postea poetae, qui hominum ebriorum facinora primaria fabularum argumenta facerent. Huc pertinet e mediae comoediae poetis Alexis, quem fabulam *τὸν Πάροινον* scripsisse Athenaeus tradit VI. p. 244. d., ex illis autem, quos praecipue novam comoediam excoluisse ferunt, Menander, cuius fabulam unam *τὴν Μέθην* dictam fuisse idem Athenaeus refert IV. p. 146. d.

Aliud id genus est personarum, quas, quum nominibus modo atque argumentis immutatis in omnibus fere novae comoediae fabulis deprehendas, perpetuo in scaenam inductas dicere queas. Harum igitur personarum, quas novae comoediae proprias dixit, plenissimum indicem adumbravit Jul. Pollux. onum. lib. IV. c. 19. Ibi enim personarum comicarum genera, habitum, ornamenta aliaque designata habes. His igitur parasiti quoque personam adnumeratam videbis. Atque, si

bene ego calculos subduxi, triplex ille parasitorum genus fuisse statuit. Quae quidem parasitorum personae adeo in hominum deliciis erant, ut ceteris omnibus amissis parasitum tamen suum homines illi usque ad tempora nostra servaverint. Etenim nomine tantum et vestitu immutato etiamnum in Siculorum et Italorum theatris iocatur et vociferatur parasitus! Atqui eam, quae parasiti est, alteram illam esse scias personam, quam Epicharmum primum in scaenam introduxisse dixi.

Sed priusquam de parasito Epicharmio disputare incipiamus, videndum est, unde demum hanc ille personam in comoediam transtulerit. Nimirum per omnem Graeciam iam inde ab antiquissimis temporibus divulgati erant homines illi, quos postea nomine parasiti insignes fecerunt. Itaque ipsum iam Homerum non ignorasse parasitos nonnulli sunt opinati, qui Poden Hectoris illum amiculum Il. ῥ. 375. seqq. hominem eiusmodi agnovissent. Cf. Athen. VI. p. 236. d. Qui vero vitae parasiticae laudes celebrare suscepit, parasitus ille Lucianeus, ut artis suae originem ad summam antiquitatem referret, Ulyssem Calypsonis, Agamemnonis autem parasitos Nestorem et Idomeneum dixit. Cf. Lucian. de parasit. tom. II. p. 848. 869. ed. Hemsterhuis. At tum temporis aliud erat parasitorum nomen. Apud Homerum enim δαιτυμόνες dicebantur — Cf. Lucian. l. l. — ab aliis deinde poetis antiquioribus κολάκων nomen ipsis tribuebatur. Cf. Athen. VI. p. 248. d. Nimirum antea nomen parasiti non ignobile erat, quippe quo genus quoddam sacrorum ministrorum significabatur. Quod multis argumentis edocuit Athen. lib. VI. p. 242. a. Tempore autem Platonis

et Aristophanis nomen istud honorificum in κόλακας illos transferri et turpe fieri incepit. Ararus enim ille, filius Aristophanis primus fuit, qui turpiori ista significatione nomen parasiti in hymno aliquo usurparet. Cf. Athen. VI. p. 237. a. Plato autem initio sermonis, cui titulus Laches est, παρασιτεῖν dixit duos quosdam adulescentulos, a genere isto adulatorum non multum alienos. In comoediam autem ab Alexide primo parasiti nomen introductum esse opinor.

Erat autem notae turpissimae hoc genus scurrarum, quippe qui omnino inopes et miseri inertiae et vorandi libidini per totam vitam inservirent. Lepide igitur Aristophon ille apud Athenaeum lib. VI. p. 238. a. parasitum quendam de famelica sua natura ita conquerentem fecit, ut quemadmodum ad aquas bibendas rana, atque ad olus edendum eruca nata esset: ita parasitum ad nil vescendum et esuriginem perpetiendam natum esse diceret. Quocum congruit Gelasimus ille Plautinus in comoedia Sticho I. 3. 2., qui Famem matrem suam esse profitetur. Cf. Plaut. Capt. I. 2. 25. III. 1. 10. Itaque iocis, adulationibus, aliisque officiis scurrilibus efficiebant, ut ad coenas hominum ditiorum vocarentur, ibique ventres adimplere possent. Hoc igitur primarium quasi parasito erat iniunctum negotium, ut iocando, cantando, sannis, omnibus denique actionibus convivarum risum moveret. Cf. Athen. XIV. 614. e. Schweighaeuser. animadv. tom. VII. p. 149. Athen. IV. p. 160. a. p. 162. b. Neque enim, ni totos se ad iocum accommodassent, a coena non deturbabantur. Id enim conqueruntur κόλακες illi Eupolidei apud Athenaeum lib. VI. p.

236. f. Altera autem, qua epulatores suos delectabant, mira illa erat in adulando importunitas, Ea enim facta est, ut omnia, quae ab illis provenissent, summis se laudibus exornare simularent. Itaque quodvis fautorum dictum, vel facinus elegantissimum illi, iucundissimum, divinum adeo esse clamitabant, uti ille, quem secum habebat miles iste gloriosus apud Plautum I. 1. 10. seqq. Cf. Athen. XIV. 614. c. Epich. apud Athen. VI. 236. e. Neque illi rebus ipsis turpissimis, dummodo amicorum essent hospitalium, laudes suas nimias non attribuebant. Quale est, quod illos, si venter crepuisset, suffimenta dulcissima effundere, et cum graveolentia eructassent, violas exhalare clamabant, uti ille in Epiclero Diodori Sinopensis apud Athenaeum VI. p. 239. e. de parasitis ait:

Παρεκάλουν τοὺς δὲ κολακεύειν δυναμένους
Καὶ πάντ᾽ ἐπαινεῖν· οἷς ἐπειδὴ προςερύγοι
Ῥαφανίδα καὶ σαπρὸν σίλουρον καταφαγὼν,
Ἴα καὶ ῥόδ᾽ ἔφασαν αὐτὸν ἠριςηκέναι.
Ἐὰν δ᾽ ἀποπάρδῃ μετά τινος κατακείμενος,
Τούτῳ προςάγων τὴν ῥῖνα δεῖτ᾽ αὐτῷ φράσαι·
Πόθεν τὸ θυμίαμα τοῦτο λαμβάνεις;

Nil deinde excogitaveris, quod pro coena aliqua promissa aut perpetrare aut perpeti parasitus non esset paratus. Cf. Antiphanes in Gemellis apud Athen. lib. VI. p. 238. a. Neque enim, si fautoribus inde commodi aliquid redundaret, mendaciis, periuriis, dolis, neque ullo scelere illi abstinebant. Cf. Antiphanes in progenitor. apud Athen. VI. p. 238. d. Plautus Curcul. In ipsis autem conviviis petulantium epulatorum ludibria, vituperia, verbera adeo, quodvis denique contumeliarum ge-

nus perpeti, non recusabant. Cf. Athen. VI. p. 246. f. Ipsa etiam turpissima et periculosissima ministeria illi obibant. Quale est, quod nimia crapula correptos humeris suis auferebant, portas, si convivarum commissatio incepisset, effringebant, obviis hominibus pugnos infligebant. Optime igitur parasitus apud Aristophontem in medico apud Athen. VI. p. 238. haecce de vita sua:

Ἂν τις ἑςιᾷ, πάρειμι πρῶτος· ὥς᾽ ἤδη πάλαι
Παρὰ νέων ζωμὸς καλοῦμαι· δεῖ τιν᾽ ἄρασθαι μέσον
Τῶν παροινούντων; παλαιςὴν νόμισον Ἀνταῖον μ᾽ ὁρᾶν.
Προςβαλεῖν πρὸς οἰκίαν δεῖ; κρίος. ἀναβῆναί τι πρὸς;
Κλιμάκιον; Καπανεύς. ἐὰν δὲ ὑπομένειν πληγὰς, ἄκμων.
Κονδύλους πλάττειν δὲ, Τελαμών. τοὺς καλοὺς πειρᾶν,
καπνός.

His igitur moribus atque ministeriis nonnulli opulentos homines sibi ita devinciebant, ut in perpetuum ab eis hospitium reciperentur. Cf. Lucian. de parasit. tom. II. p. 843. et 881. Talem enim esse se significat Peniculus, ille Plautinus in Menaechm. III. 2. v. 26. et 40. Qui quidem, ut fautorum benevolentiam non amitterent, servorum vicibus aliquando defungi non recusabant. Quale est quod ad coenas parandas cibos in foro coëmebant, et quidquid demum dominis libuisset, obsequii praestare studebant. Cf. Plaut. Bacch. IV. 1. et 2. Captiv. III. 1. 12. Alios vero vagabundos de coena in coenam migrare iuvabat. Etenim et vocati et non vocati hospitum se numero intrudere non dubitabant. Cf. Epich. apud Athen. VI. p. 236. a. Apollodor. ap. Athen. VI. p. 244. f. Saepius autem vel dolo aliquo vel ioco efficiebant, ut quicunque homo ditior obviam esset factus, in coenam ipsos

secum abduceret. Quodsi illis tandem contigisset, ut ad coenam admitterentur: cum ceteris convivis in lectulis non accumbebant, verum ad pedes convivatoris in humili scabello per totam coenam considebant. Cf. Epich. apud Athen. VI. p. 235. e. Plaut. Stich. III. 2. v. 33. Petit. miscellan. VI. 3. Schweighaeuser. animadv. tom. III. p. 375. Atque hunc demum laborum et patientiae fructum illi percipiebant, ut quantum vini et ciborum libuisset, gulis suis infunderent. Cf. Diphil. apud Athen. VI. p. 236. b.

Erant etiam inter illos, qui tantam artis suae famam consequerentur, ut memoriam eorum et posteri et aequales omnimodo celebrarent. Ita famosissimus erat Tithymallus ille, cuius nomen proverbialiter de quovis parasito usurpabant. Cf. Athen. VI. p. 240. d. Neque minus innotuerant Philoxenus, cui cognomen inditum erat lepidissimum ὁ πτερνοκόπις, et Chaerephon, quem librum de coenis composuisse ferunt. Cf. Athen. VI. 244. a. Atque alii multi praeterea commemorantur ab Athenaeo l. l. Horum igitur scurrarum historiolae in omnium ore circumferebantur. Nimirum quae iocose illi fecerant, excogitaverant, perpessi erant, dixerant, quae forma corporis fuerat, quae immensa ventris capacitas, quae audacia et importunitas, haec omnia narrationum suarum argumenta facere et scurrae et alii in conviviis consueverant. Imprimis autem sententiunculae illorum aliquot lepidissimae talem erant nactae celebritatem, ut eas perpetuo ab aliis repetitas nulla deleret oblivio. Cf. Athen. p. 242. a. seqq.

Hoc igitur hominum genus omnino ridiculum quam fuerit ad comoediae rationes accommodatum,

quivis videt neque fefellit eos, qui primi ad fabulas comicas perscribendas operam suam contulerunt. Quis vero vel Siculorum vel Atheniensium comoediae scriptorum primus parasiti personam in scaenam introduxerit, de ea re ipsos inter veteres quaedam fuisse videtur controversia. Quale est quod Carystius Pergamenus apud Athenaeum hanc laudem Alexidi tribuit. At id non recte fieri mox videbis. Epicharmus enim primus parasitum in comoedia *Ἐλπὶς ἢ Πλοῦτος* proposuit, neque vero dubito, quin et in aliis suis comoediis aliquot parasitum agentem fecerit. Locus autem, quem apud Athenaeum de hac re extare dixi, hic est: *Τὸν δὲ νῦν λεγόμενον παράσιτον Καρύστιος ὁ Περγαμηνὸς ἐν τῷ περὶ διδασκαλιῶν εὑρηθῆναί φησιν ὑπὸ πρώτου Ἀλέξιδος, ἐκλαθόμενος ὅτι Ἐπίχαρμος ἐν Ἐλπίδι ἢ Πλούτῳ παρὰ πότον αὐτὸν εἰσήγαγεν οὑτωσὶ λέγων.*

Ἀλλ' ἄλλος ὅδ' ἕστηχ' ὧδε τοῦδε κατὰ πόδας κ.τ.λ.

Quae quidem disceptatio facillime dirimi poterit, dummodo scriptores illos de re inventa consensisse, de nomine invento pugnasse statueris. Hoc enim est certissimum, Epicharmum in comoedia ab Athenaeo laudata personam quidem parasiti in scaenam introduxisse, neque vero nomen parasiti adhibuisse. Nimirum parasitos ante Ararotem, Aristophanis filium non *παρασίτους*, sed *κόλακας* dictos fuisse iam supra monui. Neque enim non est repudiandum Pollucis testimonium, qui et nominis inventorem fecit Epicharmum onum. lib. VI. 35. *πρῶτος Ἐπίχαρμος τὸν παράσιτον ὠνόμασεν, εἶτα Ἄλεξις.* Cf. Casauboni notae ad Athen. p. 336. e. Quid igitur, si personam para-

siti inventam Epicharmo non abiudicaverit Carystius ille, verum idem, quum nomen parasiti primum ab Alexide usurpatum reperisset, parasitum quidem ab Alexide inventum esse dixerit?

Verum utut est de nomine, ipsa parasiti persona ab Epicharmo in scaenam introducta inde postea nunquam abiit. Itaque non multo post Epicharmi tempora eximia sane gloria contigit parasitis, quippe qui in comoedia Eupolidis, cui titulus erat *οἱ κόλακες*, chorum effecerint. Cf. Athen. VI. p. 236. f. Atque lepidum profecto est adulatorum canticum ab Athenaeo illo loco allatum, quo vitae suae rationes, molestias, iucunditates verissime adumbrant. Deinde vero, quo tempore et media et nova comoedia efflorescere inceperunt, parasiti persona, ut quae omnes delectatione summa affecisset, longe lateque est divulgata. Etenim inter eos, qui tum comoedias scribebant, non facile repertus est quisquam; quin parasitum subinde in fabulas suas induceret. Cuius rei exempla aliquot tibi afferrem, ni copiosum huinsmodi fabularum indicem haberes apud Athenaeum lib. VI. p. 236. usque ad p. 245. Sed maxime demum exornarunt parasitos illi, qui fabularum summas e vita atque actionibus illorum repetiverunt. Quod fecisse inter mediae comoediae scriptores novimus et Alexidem et Antiphanem. Illi enim cum in multis suis fabulis parasitorum iocos immiscerent, tum fabulas conscripserunt, quibus a primario suo argumento titulus *ὁ παράσιτος* attributus erat. Cf. Athen. III. p. 123. f. X. p. 421. d. III. p. 96. b. IV. 169. e. IX. p. 370. e. Idem fecit Diphilus, quem novae comoediae poetis adnumerant. Cf.

Athen. VI. p. 236. b. A graecis autem exemplis ad imitatores Romanos migravit parasitus. Hinc in plerisque fere comoediis Plautinis festivam eius personam deprehendimus. Atque etiam in una illa comoedia, quae a parasito Curculione denominata est, tota fabulae actio a parasiti dolo progreditur. Maxime autem ille parasiti personam celebrasse videtur in comoedia deperdita, cui titulus erat *parasitus piger* sive *Lipargus*. Neque parasitus in ipsis comoediis Terentianis deest.

Omnino autem, qui comoediae scriptores parasitos in scaenam introducebant, iisdem ipsos ornamentis indutos, moresque eorum ad idem fere unumque exemplum descriptos exhibebant. Quanquam haec unius personae adumbratio perpetuo repetita non effecit, ut iocorum et rerum ridicularum, quas parasiti illi ederent, non existeret admirabilis quaedam varietas. Itaque Pollux omnes illos parasitos scaenicos ad tria genera revocavit, quae nominibus *parasiti*, *secundi adulatoris* et *iuvenis Siculi* sunt designata. Locus autem Pollucis est in onom. lib. IV. c. 19. *τὰ δὲ τῶν νεανίσκων πρόσωπα δεύτερος κόλαξ, παράσιτος, Σικελικός.* Neque multo post, *ὁ δὲ Σικελικὸς παράσιτός ἐςι τρίτος.* Eandem parasitorum divisionem invenies apud Nonium Marcellum s. v. *derisor. triplex parasitorum genus est derisores, plagipatidae sive Lacones, adulatores.* Ille igitur, quem adulatorem dixit Nonius, idem cum eo esse videtur, qui a Polluce *δεύτερος κόλαξ* est appellatus. Hoc enim nomine id genus parasitorum notabatur, quibus poetae nimiae adulationis personam iniunxerant. Alterum autem eorum genus, quos Nonius Lacones sive a plagis perpe-

tiendis plagipatidas nominavit, a Polluce nudo nomine parasiti designatur. Sed Plautus quoque, ut humillimos et abjectissimos parasitos denotaret, nominibus Lacone et Plagipatida usus est Mostell. II. 1. 9. Captiv. III. 1. 10. Etenim fuisse inter parasitos, qui ad petulantiam convivatorum iuvandam plagas et aliud quodvis iniuriarum genus patientissime tolerarent, iam supra monui. Qui vero supersunt derisores, sive quo nomine Pollux utitur, iuvenes Siculi: eorum personae ita adumbratae fuisse videntur, ut ad res iocosas et scurriles enuntiandas se totos accommodarent.

Ipsam parasiti personam et cetera ornamenta breviter descripsit Pollux onum. IV. 19. *κόλαξ δὲ καὶ παράσιτος μέλανες, οὐ μὴν ἔξω παλαίςρας, ἐπίγρυποι, συμπαθεῖς. Τῷ δὲ παρασίτῳ μᾶλλον κατέακται τὰ ὦτα καὶ φαιδρότερός ἐςιν ὥσπερ ὁ κόλαξ. ἀνατέτακε δὲ κακοηθέστερον τὰς ὀφρῦς.* Quo in loco cum nigros parasitos dixerit Pollux: eos nigra veste indutos in scaenam processisse scias. Eodem enim sensu nigros illos dixit Alexis apud Athen. VI. p. 237. b. Neque ad hunc vestimenti parasitici colorem non allusit Cicero, quum Phormionem Terentianum nigrum dixit in oratione pro Caecina X. Cf. Publ. Victor. Var. L. VI. 23. Schweighaeuser. animadv. tom. III. p. 391. Incurvata autem corpora habebant et condolentium speciem prae se ferebant, ut humilem vitae suae conditionem aliquatenus significarent. Quinetiam illi, qui plagipatidae dicebantur, ori eam personam praeferebant, ut quantum eis plagarum incussum esset, auribus contusis intelligeres. Faciunt denique picturae illae antiquae, quibus personae aliquot Plautinae sunt

adumbratae, ut parasitos scaenicos tum ingèntem corporis pinguedinem tum eximiam maciem prae se tulisse existimem.

Sermones vero suos, iocos, mores, habitum, totam denique actionem parasiti illi scaenici omnino conformabant ad exempla illorum, quorum aliquot e vita vulgari depromitos modo significavi. E quibus quidem eorum sermonibus lepidissimi sunt illi, quibus non cum aliis actoribus colloquentes, sed soli de scaena ad spectatores conversi vitae suae conditionem describere student. Alii enim gloriantur de vitae suae dulcedine, de ingenii sui festivitate, de egregia in amicos pietate, aliisque parasitorum virtutibus, uti illi, quorum sermonum exempla servavit Athen. VI. 236. b., 237. e., 238. a, f., 239. a, b. Alii vero de misera vitae conditione, de inedia perpetienda, de vulneribus sibi inflictis aliisque suis calamitatibus lamentantur. Cf. Athen. VI. p. 238. d. Plaut. Stich. I, 3. 2. Alios demum ministeria, dolos, adulationes, aliasque machinationes, quibus sibi aliorum amicitias et coenas concili nt, enarrare iuvat. Ita enim faciunt illi, quos laudat Athen. VI. 236. f., 238. c., 240. a.

Sed ut ad eum, qui praecipue ad nos pertinet, ad parasitum Epicharmium revertatur oratio: is iam plane ad exemplum illud, quale in scaenam a posterioribus poetis inductum fuisse modo demonstravi, conformatus erat. Ad coenam enim vocatus in scabello ad pedes convivatoris consedit; idem vero in sequendo invitantem miram quandam importunitatem exhibet; potantem denique eum atque vorantem non facile expleri convivae conqueruntur. Hinc Athenaeus lib. VI. p. 236. e.

Ἐπίχαρμος ἐν Ἐλπίδι ἢ Πλούτῳ παρὰ πότον αὐτὸν εἰςήγαγεν οὑτωσὶ λέγων·

Ἀλλ' ἄλλος ὅδ' ἐςηχ' ὧδε τοῦδε κατὰ πόδας,
Τὸν ῥαδίως λαψῇ τυ καὶ θοινῆν γα θὴν
Εὔωνον ἀεὶ σῖτον· ἀλλ' ἔμπας ὅδε·
Ἄμυςιν ὥσπερ κύλικα πίνει τὸν βίκον.

Eodem autem loco lepidissimum superest colloquii specimen, quo parasitus ingenii vitaeque genus aut describere aut laudare studet. Ita enim Athenaeus l. l. Αὐτὸν δὲ ποιεῖ τὸν παράσιτον λέγοντα τοιάδε πρὸς τὸν πυνθανόμενον·

Συνδειπνέω τῷ λῶντι, καλέσαι δεῖ μόνον·
Καὶ τῷ γα μὴ λιῶντι, κ' οὐδὲν δεῖ καλεῖν.
Τηνεὶ δὲ χαρίεις τ' εἰμὶ καὶ ποιέω πολὺν
Γέλωτα καὶ τὸν ἑςιῶντ' ἐπαινέω.
Καἴκα τις ἀντίον τι λῇ τήνῳ λέγειν
Τήνῳ κυδάζομαί τε καὶ τήνῳ 'χθομαι.
Κῆπειτα πολλὰ καταφαγὼν, πολλ' ἐμπιὼν
Ἄπειμι. λύχνον δ' οὐχ ὁ παῖς μοι συμφέρει.
Ἕρπω δ' ὀλισθάζων τε καὶ κατάσκοτος,
Ἐρ..μος, αἴ κα δ' ἐντύχω τοῖς περιπόλοις,
Τούτοις ἀγαθὸν ἐπιλέγω τοῖς θεοῖς, ὅτι
Οὐ λῶντι παίων, ἀλλὰ μαςιγῶντί με.
Ἐπεὶ δὲ χ' ἥκω οἴκαδες καταφθαρεὶς,
Ἄςρωτος εὕδω, καὶ τὰ μὲν τρῶτ' οὐ κοῶ
Ἆς κα μ' ἄκρατος οἶνος ἀμφέπῃ φρένας.

καὶ ἄλλα δὲ τοιαῦτα ἐπιλέγει ὁ τοῦ Ἐπιχάρμου παράσιτος. Ecce igitur genuinus parasiti Plautini gemellus! Cf. tamen Plaut. Captiv. III. 1. Menaechm. I. 1 Pers. I. 2.

Tertium praeterea eius fabularum genus fuisse quidam sunt opinati. Earum enim naturam ita conformatam fuisse, ut quae a singulis vel homi-

nibus vel civitatibus peccata fuissent, comico ludibrio lacerata proponerentur. Quocirca Epicharmum cum Aristophane etiam componere illi non dubitarunt. Cf. Hemsterh. ad Polluc. IX. 4. 26. Mueller. Dor. II. p. 358. Quorum sententia, licet tanquam prorsus falsa repudiari nequeat, neque tamen omnino vera esse mihi videtur. Etenim quum fabulae, quas dicunt illi, a comoediis modo descriptis aut omnino nihil aut in singulis tantummodo rebus discreparent, ut quibus eadem fere argumenta eademque rerum pertractatio communis esset: discrimen inter illas positum aut verum non est aut certe superfluum. Namque res ita se habet. Aetatis suae res et calamitates hominumque aequalium facinora hic illic in fabulis significavit quidem Epicharmus: verum id ita fecit, ut summa argumenti, qua alia quaepiam historia e vulgari hominum vita desumta ederetur, immutationem non admitteret. Hinc igitur perspicuum est, consilia, quibus Aristophanes et Epicharmus comoedias perscriberent, omnino fuisse diversa. Ille enim hoc unum et quidem maxime in comoediis perscribendis propositum sibi habebat, ut per totum fabulae contextum malorum hominum facinora acerbissimis ludibriis perstringeret: hic vero, si quando aut reipublicae aut eius administratorum malam conditionem castigavit; id ita fecit, ut non suum ipsius consilium sequens sed fabulae opportunitate ductus subinde tantum atque in transcursu talia inseruisse videatur. Tum novimus incredibilem illam audaciam sive potius inclementiam, qua, ut eorum vitia aperiat, in singulos quosdam homines invehitur Aristopha-

nes: Epicharmum vero, si quae improborum civium facinora protulit, ea leniter indicasse scias. Ipsae autem fabulae, quas cum Aristophanicis composuerunt illi, tres fere sunt. Ac prima earum est fabula Ἁρπαγαί, qua Siciliae bello aliquando vexatae calamitates descriptas fuisse censuit Mueller. l. l. Sed cavendum est, ne e fabulae titulo paucisque eius reliquiis nimium efficere velis. Eam igitur fabulam auctor Etymol. magn. ita laudavit s. v. πέποσχε. ἀπὸ τοῦ πάσχω πάσξω, πέπασχα, τὸ τρίτον πέπασχε, καὶ κατὰ τροπὴν τοῦ ἄλφα πέποσχεν. ἐν Ἁρπαγαῖς Ἐπιχάρμου. ἃ δὲ Σικελία πέποσχεν. Quibus addenda sunt alia duo fragmenta a Julio Polluce asservata. Ita enim ille lib. IX. 81. σὺν δὲ ταῖς λίτραις καὶ ἄλλα ὠνόμασε νομισμάτων ὀνόματα Ἐπίχαρμος ἐν Ἁρπαγαῖς.

. . . ὥσπερ αἱ πονηραὶ μάντιες
Αἵθ' ὑπονέμονται γυναῖκας μωρὰς ἂμ πεντούγκιον
Ἀργυρέον, ἄλλαι δὲ λίτραν· αἱ δ' ἂν ἡμιλίτριον
Δεχόμεναι καὶ πάντα γιγνώσκοντι τῷ τηνῶν λόγῳ.

καὶ πάλιν.

. . . ἔχω γὰρ τόγε βαλάντιον λιτρῶν
Δεκαλιτρῶν τε πλῆρες ἑξάντων τε καὶ πεντουγκίων.

Ex iis autem, quae modo ex Etymol. magn. attuli, hoc certe consequitur, tempus, quo fabulae nostrae argumentum agitur, illud fuisse, quo civitates Siculae rapinis aliisque belli vastationibus se invicem infestarent. Cf. Goeller. de situ Syrac. p. 17. seqq. Ea vero incidunt in Ol. LXXI. — Ol. LXXIII. Nimirum haec fabula, quippe cuius initium forsitan a militum rapinis esset progressa, inde optime denominari poterat, quin tota ea planam rerum Sicularum descriptionem adumbratam

fuisse censeas. Neque ad unicam illam de rebus Siculis exclamationem: ἁ δὲ Σικελία πέποσχε totius fabulae argumentum accommodare velim. Imo vero, si naturam comoediae Epicharmiae recte intellexi, et in hac fabula historiunculam aliquam e communi hominum vita desumtam pertexuit ita, ut reipublicae, quae tum erat, conditionem hic illic tantum commemoraret. Neque enim ad historiolam huiusmodi non quadrant duo illa fragmenta a Polluce allata, quorum altero μάντιες πονηραί, quae mulierculas superstitiosas pecunia emungunt, cum vituperio quodam significantur: altero autem crumenam pecunia refertam aliquis ostentat. Tum provocant illi ad fabulam illam, cui titulus erat Ἑορτὰ ἢ Νᾶσοι. Quam quidem fabulam qui veterum scriptorum significarunt, illi de eius argumento ne syllabam quidem sunt elocuti, praeterquam quod scholiasta ad Pind. Pyth. I. v. 98. hoc indicavit: ὅτι δὲ Ἀναξίλαος Λοκροὺς ἠθέλησεν ἄρδην ἀπολέσαι, καὶ ἐκωλύθη πρὸς Ἱέρωνος, ἱστορεῖ καὶ Ἐπίχαρμος ἐν Νάσοις. Equidem vero, licet Epicharmum in hac fabula et in aliis etiam principum virorum vitia leniter perstrinxisse libentissime concedam: idem tamen totum fabulae alicuius argumentum ad vituperium eiusmodi ab eo fuisse adornatum vehementer nego. Persas deinde fabulam ad tempora spectasse opinantur illa, quibus a gente ista belli impetus Graecis civitatibus illatus est. Sed neque de huius fabulae conformatione per reliquiarum paucitatem certi quidquam affirmare licet.

Iam vero restat, ut quot fabulas Epicharmus perscripserit, videamus. Atque, ut hoc primum

dicam, qui de fabularum Epicharmiarum numero hucusque disputarunt: ii censu illo suo parum accurate sunt defuncti. Etenim duos habemus titulorum indices, quibus singulae Epicharmi comoediae commemorantur. Alterum invenies in Meursii notis ad Helladii chrestomathiam apud Gronov. thesaur. tom. X. p. 974, 75., alterum in Fabricii bibl. graec. cum not. Harles. tom. II. p. 290. Neuter vero neque indicem satis plenum adumbravit, neque fabulas genuinas a suppositiciis cura satis iusta separavit. Qui vero beati avi indicem denuo pertractavit Herm. Harles. in libello de Epicharmo p. 58., is etiam a vero fabularum Epicharmiarum numero aliquantum aberravit. Quod quidem eo minus mirabere, quum et ipsi veteres de numero harum fabularum indicando miro modo inter se dissenserint. Suidas enim s. v. Ἐπίχαρμος haec habet: Ἐδίδαξε δὲ δράματα νβ΄. ὡς δὲ Λύκων φησὶ, τριάκοντα πέντε. Eadem fere habet Eudocia in Villoisoni anecdotis vol. I. p. 166. s. v. Ἐπιχ. ἐδίδαξε δὲ δράματα νβ΄. Sed tu fidem vix habebis Suidae, quippe qui inter varia aliorum de hac re indicia dubius haesisse videatur. Alias enim Lyconis, qui longe aliter sentiret, indicium ille non addidisset. Multo autem propius ad veritatem accessisse mihi videtur anonymus ille apud Aristoph. Kuster. p. XII., qui quadraginta quidem Epicharmi comoedias, neque vero illas omnes genuinas circumferri profitetur. Ita enim ille: σώζεται δὲ αὐτοῦ δράματα μ΄, ὧν ἀντιλέγονται δέ. Quid igitur, si verum statuisse opinor Lyconem, grammaticum illum a Suida laudatum, qui summam fabularum Epicharmiarum triginta quinque

fuisse censuit? Lyco autem iste auctor gravissimus est, quippe quem circa Ol. CXX. scholae peripateticae per quatuor et quadraginta annos Athenis praefuisse constet. Cui quidem, cum et aetate et auctoritate scriptoribus modo laudatis multum antecellat, equidem fidem non facile denegabo.

Neque vero dubitare poteris, unde venerit, ut nonnulli auctores fabularum indicem tantopere supra verum numerum adauxerint. Etenim si et titulos fabularum, quae falso sub nomine Epicharmi circumferebantur, et multiplicata comoediarum aliquot nomina genuinis addideris: non multum aberis a numero illo, quem Suidas et Eudocia indicarunt. Nimirum fuisse inter veteres, qui fabulis suis, ut magis eas commendarent, nomen nobilissimum Epicharmi praeponerent, satis edocuit Athenaeus lib. XIV. p. 648. e. *Ἀπαντήσαντος δὲ αὐτῷ τοῦ Λαρηνσίου καὶ εἰπόντος, τὴν μὲν ἡμίναν οἱ τὰ εἰς Ἐπίχαρμον ἀναφερόμενα ποιήματα πεποιηκότες οἴδασιν, κἀν τῷ Χείρωνι ἐπιγραφομένῳ οὕτω; λέγεται.*

Καὶ πιεῖν ὕδωρ διπλάσιον χλιαρὸν ἡμίνας δύο.

Τὰ δὲ ψευδεπιχάρμεια ταῦτα πεποιήκασιν ἄνδρες ἔνδοξοι· Χρυσόγονός τε ὁ αὐλητὴς ὥς φησιν Ἀριςόξενος ἐν ὀγδόῳ Πολιτικῶν νόμων, τὴν Πολιτείαν ἐπιγραφομένην. Φιλόχορος δ' ἐν τοῖς περὶ Μαντικῆς, Ἀξιόπιςον τὸν εἴ τε Λοκρὸν γένος ἢ Σικυώνιον τὸν Κάνονα καὶ τὰς Γνώμας πεποιηκέναι φησίν. ὁμοίως δὲ ἱςορεῖ καὶ Ἀπολλόδωρος. Vides igitur, comoedias hasce tres *Πολιτείαν*, *Κάνονα*, *Γνώμας* non modo Epicharmo abiudicari, verum etiam auctoribus attribui omnino aliis nominatim indicatis. Quorum quidem ille, qui *τὴν Πολίτειαν* conscripserat,

hoc maxime consilium sequutus esse videtur, ut sententias Epicharmi philosophicas quam plurimas fabulae isti insertas ad centonem quendam concinnaret. Optime autem sententiarum illa multitudo quadrabat ad fabulae titulum, quo actiones ad rempublicam eiusque administrationem pertinentes haud dubie significantur. At si quis quaesiverit, unde haec omnia de fabula ista comperta habeam: is fabulae specimina aliquot etiamnum superesse sciat. Nimirum bina eius fragmenta, ex intimis philosophiae adytis desumta conservavit et disertis verbis comoediae huic suppositiciae attribuit Clemens Alex. strom. V. p. 258. Sed, ni vehementer erro, et alia quaedam ex eadem fabula Clemens desumserit necesse est. Etenim sententiae, quas ille attulit strom. V. p. 255., IV. p. 211., IV. p. 232., VII. p. 303., ita sunt comparatae, ut a sermone Epicharmio prorsus alienae videantur. Licet igitur comoedias, ad quas illae pertinerent, nominatim Clemens non dixerit: attamen e comoedia illa Chrysogoni repetitas esse omnino mihi persuasum habeo.

Neque dubitandum est, quin fabulis non genuinis Athenaeus l. l. adnumeraverit alteram illam, quam a Chirone denominatam esse dixit. Etenim Athenaeus loco illo hoc edocere conatur, scriptores istos, qui fabulis suis Epicharmi nomen falso praeposuissent, ad fraudem occultandam vocabula Epicharmia aliquando usurpasse. Cuius quidem rei exemplum attulit vocabulum ἡμίναν, quod in fabula Chironis nomine inscripta reperisset. Licet igitur hoc quidem loco fabulae auctorem diserte non indicaverit, eum tamen Epicharmum non esse

quam eninam auctori attribuerent, ipsi veteres nesciebant. Namque Athenaeus lib. XIV. p. 619. d. haec habet: ἡ δὲ τῶν ἱσουργούντων ᾠδὴ ἔλινος, ὡς Ἐπίχαρμος ἐν Ἀταλάντῃ. Quocum congruit auctor etymol. magn. s. v. ὀρίγανον. οὐδετέρως λέγεται ἐν ἐλεγείοις καὶ παρ' Ἐπιχάρμῳ ἐν Ἀταλάντῃ. Cf. Eustath. ad Il. p. 1223. l. 11. Ubi vides, unam eandemque fabulam et plurali et singulari nomine esse designatam. At idem Athenaeus hanc fabulam Phormidi adiudicavit lib. XIV. p. 652. a. καὶ Φόρμος ὁ Κωμικὸς ἐν Ἀταλάνταις. Cf. Suidas s. v. Φόρμος. Sed quid multa? incertum fuisse huius fabulae auctorem diserte indicavit scholiasta Biseti ad aves Aristoph. v. 1294. Δίδυμος ὡς τοιούτου τὴν ὄψιν ὄντος μνημονεύει αὐτοῦ καὶ μέγα ῥυγχος ἔχοντος. καὶ ὁ τὰς Ἀταλάντας γράψας καὶ Εὔπολις ἐν Ταξιάρχαις.

Accedit vero ad titulorum indicem adaugendum etiam hoc, quod aut singulae aliquot fabulae binis vel trinis nominibus, aut singulae earum partes diversis nominibus aliquando erant designatae. Cf. Harles. ad Fabric. bibl. gr. tom. II. p. 301. Huc igitur prae ceteris est vocanda, quam spuriam esse modo indicavi, fabula Πολίτεια. Alter enim eius titulus extabat non multum dissimilis, οἱ Πολῖται. Nam apud Becker. anecdot. I. p. 112. haec sunt: παράκαιρος ἀντὶ τοῦ ἄκαιρος. Ἐπίχαρμος πολίταις. Cf. id. tom. I. p. 105. s v. κακεντρέχης. Neque vero dicet aliquis, non easdem fabulas esse Πολίτας et Πολίτειαν. Etenim ad miram illam titulorum similitudinem hoc etiam accedere scias, quod fabula Πολίτεια saepius, neque vero altera οἱ Πολῖται alias praeterquam apud Beckerum l. l.

commemoratur. Tum haud dubie duplex erat titulus comoediae nobilissimae Ἥβης γάμος, cui et nomen Μοῦσαι attributum fuisse constat. Exempla in promtu sunt. Ipse enim Athenaeus Hebae nuptias laudat lib. VII. p. 286. c. VII. p. 326. e., et aliis locis quam plurimis. Idem tamen Musas eam fabulam dixit lib. VII. p. 312. c., VII. p. 323. a., et alibi. Quod unde factum sit, mox explicabo. Deinde quae fabula ab aliis auctoribus nudo nomine Νᾶσοι laudatur, uti a Polluce in onom. X. c. 62. et a scholiasta ad Pindari Pyth. I. v. 98.: eadem ab Athenaeo titulo aliquantum adaucto dicitur Ἑορτὴ καὶ Νᾶσοι. Cf. lib. IV. p. 160. d. Schweighaeuser. animadv. tom. II. p. 549. Tum duplex titulus fuisse videtur fabulae illi quoque, quam simplici nomine Ἐλπίδος laudavit Athenaeus lib. IV. p. 139. b. Idem enim Athenaeus non multo post lib. VI. p. 236. e. tituli particulam aliquam apposuit ita: ὅτι Ἐπίχαρμος ἐν Ἐλπίδι ἢ Πλούτῳ. Cf. Becker. anecdot. I. p. 105. Quem denique titulum Ἡρακλῆς παρύφορος attulit Interpres graec. Aristot. Ethic. Nicom. tom. II. 94. ed. Zell., eo non dubito, quin pars aliqua designata sit comoediae illius, quae ab aliis auctoribus dicta est Βούσιρις. Cf. Athen. lib. X. p. 411. b. Pollux onum. IX. 45., X. 82. Quinimo duo reperisse mihi videor fabulas, quibus terni tituli iniuncti fuerunt. Altera igitur est comoedia illa, quam uno nomine Κωμαςῶν significarunt Athenaeus lib. X. p. 389. a. et Hesychius s. v. φρύγιον. Pleniorem eius titulum Κωμαςαὶ ἢ Ἥφαιςος invenies apud Apollonium Dyscolum de pronom. p. 356. ed. Becker. et apud Photium in biblioth. s. v. Ἥρας δεσμ.

Neque dubitandum est, quin alii fabulam illam laudaverint nomine Ἥρας δεσμὸς ὑπὸ υἱέος. Id enim sequitur e Suidae testimonio s. v. Ἥρας δεσμ. Cf. Photii lexic. l. l. Altera autem, quam dico, comoedia Pyrrha est. Eam enim uno hoc nomine designatam invenies apud Athenaeum lib. X. p. 424. d. Simplici quoque titulo Promethei eam designavit auctor Etymol. magn. tom. I. s. v. στατῆρες. Sed utrumque nomen ad fabulam hanc denotandam coniunxerunt Athenaeus lib. III. p. 86. a. et Pollux onum. X. c. 35. Iam vero tertium, quod fabulae huic erat, nomen Deucalionis asservavit Becker. anecdot. tom. I. p. 90. Itaque si et spurias istas fabulas et illas, quarum nomina erant multiplicata, a summa, quam perhibet cum Eudocia Suidas l. l., deduxeris: reliquas quinque et triginta fere esse videbis. Quas quidem singulas ita enumerabo, ut priori loco ponam septendecim illas, quibus argumenta mythica Epicharmus pertractavit: inferiore autem loco duodeviginti eas describam, quae ad mores hominum denotandos pertinuerunt.

1. Ἀλκύων. Laudatur haec fabula et ab Athenaeo lib. XIV. p. 619. b., et ab Apollon. Alex. de pronom. apud Wolfium in museo antiq. stud. p. 340. B. Sed utroque loco eius reliquiae afferuntur tam breves et exiguae, ut inde certe, quale argumentum fuerit, non facile divinaveris.

2. Ἄμυκος. Historiam Amyci praeter Apollodorum lib. I. 9. 20. elegantissime descripsit Apollonius Rhodius Argon. lib. II. v. 1.—177. Nimirum Argonautas in terram Bebrycum delatos esse ad eum ipsum locum, ubi castra posuerat Amycus,

rex ferocissimus, qui omnes hospites pugilatu secum contendere cogebat. Eum igitur ad Argonautas quoque accessisse, quorum aliquem ad certamen singulare provocaret. Tum Pollucem accepta conditione certamen pugillatus cum Amyco instituisse. Qui quum post contentionem vehementissimam a Polluce esset occisus, Bebryces caedem regis ulturos ad internecionem omnium Argonautarum se parasse. Ita alteram extitisse pugnam, qua Bebryces multis demum civibus amissis in fugam sint conversi. Victores igitur Argonautas per noctem insequentem epulis et rebus sacris et cantibus indulsisse. Cf. Valer. Flacc. IV. v. 240. seqq. Sed altera fuisse videtur huius rei narratio paululum diversa, qua victum Amycum a Polluce non occisum, sed vinculis illigatum sive arbori adnexum esse dicebant. Eam igitur, cum haud dubie esset vetustior, sequutus est praeter Pisandrum, poetam epicum perquam antiquum Epicharmus. Ita enim scholiasta ad Apollon. Rhod. lib. II. v. 98. Ἀπολλώνιος μὲν ἐμφαίνει ὡς ἀνῃρημένον τὸν Ἄμυκον. Ἐπίχαρμος δὲ καὶ Πείσανδρος φασιν, ὅτι ἔδησεν αὐτὸν ὁ Πολυδεύκης. Cf. Heynii annotat. ad Apollod. p. 77. Neque ipse Theocritus, qui idyll. XXII. eandem Amyci et Pollucis pugnam descripsit, Amycum a Polluce omnino interfici fecit. Imo vero Amycus Theocriti, quum a Polluce humum sit prostratus, fore ut imposterum hospites non laedat, iuramento dicto pollicetur. Cf. v. 131.—135. Unde etiam tum temporis apud Siculos paulo aliter, quam apud reliquos Graecos hanc fabulam narratam esse opinor. Sed ad fabulae huius partes aliquot illustrandas accedit etiam vasculum

aeneum, cuius pictura anaglypha haud scio an ex ipsa comoedia aliqua antiqua fuerit delineata. Hoc autem vasculum descriptum habes in Museo Kirker. tom. I. tab. I. — X. Nimirum in altera eius parte repraesentatur Amycus lauro arbori adligatus. Atque arborem istam posteris etiam temporibus homines ostentabant, eandem esse, cui Argo navis adligata fuisset, significantes. Cf. schol. ad Apollon. Rhod. II. v. 159. Plin. histor. nat. XVI. 44. In medio Pallas est et Genius Victoriae. In altera parte praeter navim Argo littori alligatam heroes sunt epulantium speciem prae se ferentes. Cf. Heinii Antiq. Aufsätze. tom. I. p. 49. seqq.

Initio igitur fabulae cum Amyco Argonautarum aliquis, qui fortasse Pollux est, congreditur, ut de alimentis emendis cum ipso agat. Huc enim pertinet vocabulum Epicharmium ἡμιούγκιον, quod ex Amyco fabula attulit Becker. anecd. tom. I. p. 98. Nimirum argenti pondus aliquod, quo aqua sive alia quaepiam alimenta coemantur, Pollux Amyco offert. Cf. Theocriti vers. 62. — 65.

Π. Δαιμόνι' οὐδ' ἄν τοῦδε πιεῖν ὕδατος σύ γε δοίης;
Α. Γνώσεαι. εἴ σε δίψος ἀνειμένα χείλεα τέρσει.
Π. Ἀργυρός ἤ τίς ὁ μισθὸς, ἐρεῖς, ᾧ κέν σε πίθοιμεν;
Α. Εἷς ἑνὶ χεῖρας ἄειρον ἐναντίος ἀνδρὶ καταςάς.

Ita vero et apud Epicharmum fabula progreditur, ut Amycus Argonautarum aliquem ad pugillatum provocet. Quod faciens quum in Castorem maxime cum contumeliis invectus esse videatur: ita eum Pollux, qui minor fratrum est, alloquitur:

. . . . Ἄμυκε μὴ κύδαζέ μευ
Τὸν πρεσβύτερον ἀδελφεόν. . . .

Quod autem praeterea addi potest plenius huius fabulae fragmentum a Suida s. v. ἐγκομβώσασθαι allatum: haud scio an recte ad finem fabulae pertinuisse statuam. Hunc igitur versiculum a Toupio in emendat. ad Suid. tom. I. p. 102. ita emendatum invenies:

Εὖγε μὲν ὅτ᾽ ἐπωμὶς ἐγκεκόμβωται καλῶς!

Cf. Phavorin. s. v. ἐγκομβ. Iam vero ἐπωμίδες non virorum sed mulierum vestimenta erant. Cf. Athen. lib. XIII. p. 608. b. Etymol. magn. s. v. κοσύμβη. Ergo aderat et muliercula quaedam bene exornata, quam versiculo isto aliquis alloquitur. Etenim aut ad epulas, quae post deportatam victoriam ab Argonautis parabantur, accedere poterat muliercula ministrans, aut post epulas convivarum comissatio, quae vulgo instituebatur, ad puellam aliquam formosam pergere debebat.

3. *Βάκχαι.* Hanc comoediam praeter Hesychium s. v. αἰγληχίδων commemoravit Athenaeus lib. III. p. 107. f. *ὁ μὲν ἐπίπλους παρ᾽ Ἐπιχάρμῳ ἐν Βάκχαις.*

Καὶ τὸν ἄρτον ἐπικαλύψας ἐπιπλόῳ.

Neque vero, quo spectet versiculus iste, nisi ad sacrum aliquod factum, pertineat, facile dixeris. De argumento fabulae nil prorsus mihi constat.

4. *Βούσιρις.* Qui ab hominibus Doriensibus et saepissime et diversissima ratione in comoediis traducebatur, Hercules: et in hac Epicharmi fabula partes sustinuisse primarias videtur. Etenim cum Herculem saepissime traductum esse dixi, eius rei luculentum e multis tibi proferam exemplum, quod extat in Vespis Aristophanis v. 57. seqq. Ibi enim Aristophanes, ut se Megarensium poëtarum comoedias non surripuisse edoceat, neque servos,

qui e proscaenio nuces in spectatorum coronam spargant, neque Herculem aliquem coena defraudatum, propinatum iri gloriatur. Versiculi sunt autem hi:

Μηδὲν παῤ ἡμῶν προςδοκᾷν λίαν μέγα.
Μηδὲ αὖ γέλωτα Μεγαρόθεν κεκλεμμένον.
Ἡμῖν γὰρ οὐκ ἔς' οὔτε καρὺ ἐκ φορμίδος
Δούλω παραῤῥιπτοῦντε τοῖς θεωμένοις,
Οὔτ' Ἡρακλῆς τὸ δεῖπνον ἐξαπατώμενος.

Ubi fieri potuisse, ut verba *κάρυα ἐκ φορμίδος* allusionem quandam ad Phormidem illum poetam Siculum continerent, in transcursu monitum velim. Detrimentum autem illud Herculi illatum ad iocosas illas historiolas pertinet, quales multae atque variae de Hercule circumferebantur. Cf. Welker. Nachtrag. p. 319. Mueller. Dor. p. I. p. 457. Hoc igitur e loco illo Aristophaneo quivis intelligit, argumenta ex Herculis historia desumta, quae ab Atticorum poetis quibusdam etiam tum temporis ad imitationem traherentur, a Doriensibus comoediae scriptoribus perquam fuisse celebrata. Quale fortasse ludicrum Megarensium antiquius ob oculos habuit Epicharmus, quum comoediam suam multo utique emendatiorem ad exemplum eius perscripsit. Ipsam autem historiam, quam hac fabula pertractavit Epicharmus, ita enarravit Apollodorus bibl. myth. lib. II. 5. 11. *Μετὰ Λιβύην δὲ Αἴγυπτον ἐξῄει* (sc. *ὁ Ἡρακλῆς*). *ταύτης ἐβασίλευε Βούσιρις Ποσειδῶνος παῖς καὶ Λυσιανάσσης τῆς Ἐπάφου. οὗτος τοὺς ξένους ἔθυεν ἐπὶ βωμῷ Διὸς κατά τι λόγιον. ἐννέα γὰρ ἔτη ἀφορία τὴν Αἴγυπτον κατέλαβε. Φράσιος δὲ ἐλθὼν ἐκ Κύπρου μάντις τὴν ἐπιςήμην ἔφη τὴν ἀφορίαν παύσεσθαι, ἐὰν ξένον*

ἄνδρα τῷ Διῒ σφάξωσι κατ' ἔτος. Βούσιρις δὲ ἐκεῖνον πρῶτον σφάξας τὸν μάντιν τοὺς κατιόντας ξένους ἔσφαζε. Συλληφθεὶς οὖν καὶ Ἡρακλῆς τοῖς βωμοῖς προςεφέρετο. τὰ δὲ δεσμὰ διαῤῥήξας τόν τε Βούσιριν καὶ τὸν ἐκείνου παῖδα Ἀμφιδάμαντα ἀπέκτεινε καὶ τὸν κήρυκα Χάλβην. Fabulae igitur tres partes praecipuae forsitan fuerint, quibus et Herculis ad Busirin adventus et coena opulentissima ipsi parata et violenta eius ab altaribus fuga edebantur. Atque ad mediam illam fabulae particulam pertinuisse opinor versiculos, quibus horribilem eius voracitatem verissime adumbratam fuisse testatur Athenaeus lib. X. p. 412. b. ἦν καὶ ὁ Ἡρακλῆς ἀδηφάγος. ἀποφαίνονται δὲ τοῦτο σχεδὸν πάντες ποιηταὶ καὶ συγγραφεῖς. Ἐπίχαρμος μὲν ἐν Βουσίριδι λέγων·

Πρῶτον μὲν αἰ κ' ἔσθοντ' ἴδοις νιν, ἀποθάνοις.
Βρέμει μὲν ὁ φάρυγξ ἔνδοθ', ἀραβεῖ δ' ἁ γνάθος κ. τ. λ.

Cf., quae p. 246. dixi. Huc referendum est Pollucis quoque de hac fabula indicium, quod est onom. lib. X. c. 45. Neque finem fabulae satis non designant verba Ἡρακλῆς παράφορος, quibus fabulam hanc significavit Interp. Gr. ad Aristot. Ethic. Nicom. tom. II. p. 94. ed. Zell. Insani enim adinstar ille, cum ad aras mactandus esset perductus, vincula perfringere et ad regem eiusque ministros prorumpere debebat.

5. *Δευκαλίων*. Huius fabulae, quum tria fuisset nomina supra demonstraverim, tres quoque partes praecipuas fuisse opinor. Atque ad primam comoediae huius partem significaudam multopere facit titulus Προμηθεὺς πυρκαεὺς, quo fabulam hanc laudavit Pollux onom. lib. X. c. 82. Notissima est

enim fabula de Prometheo, qui Jove nesciente ignem de sole surreptum ad homines a se formatos attulit. Cf. Apollod. bibl. lib. I. 6. 3. Quam quidem ut tanquam ridiculam perstringeret, Epicharmus fabulae initium ita videtur instituisse, ut homines, quam primum a Prometheo ignem accepissent, animos suos ad cibum et potum et convivia et commissationes convertentes faceret. Haud dubie enim de cibis, qui ad coenam parandam coëmebantur, sermo erat in versiculis, quorum particulam apud Athenaeum vides lib. X. p. 424. d. καὶ Ἐπίχαρμος δ' ἐν Προμηθεῖ εὐωνέστερόν φησι. Mox autem sequitur convivium satis opiparum. Eo enim spectat versiculus, qui est apud Athen. III. p. 86. a. Ibi enim convivarum aliquis concharum magnitudine delectatus ita exclamat:

Τὰν τελλίναν τόν τ' ἀναρίταν θᾶσαι δὴ καὶ λέπας
Ὅσσα.

Neque ad potatorem non referes alterum huiusmodi fragmentum, quod asservavit Pollux lib. X. c. 82. παρὰ μέντοι Ἐπιχάρμῳ ἐν Πυρκαεῖ Προμηθεῖ καὶ κατὰ τὴν ἀνθρωπίνην χρῆσιν εἴρηται·

Κύλικα, μαγίδα, λύχνον.

In altera autem parte sermo esse debebat de Deucalionis, qui Promethei filius erat et Pyrrhae nuptiis, atque de universa, quae istas nuptias mox sequuta est, hominum pernicie. Cf. Apollod. bibl. I. 7. 1. Magis enim magisque in dies gens humana in libidines et impietatem praecipitabat. Hanc vero scelestam hominum conditionem lepidissime adumbravit poeta eo, quod quam plurimos aere alieno obstrictos quidem esse, sed nil ab eis reddi conquerentem aliquem fecit. Ita enim auctor Etym.

magn. s. v. *ςατῆρες. ἢ χρεωςαί.* *'Επίχαρμος Προμηθεῖ.*

Πολλοὶ ςατῆρες· ἀποδοτῆρες οὐδ' ἂν εἷς.

Tum auctore Prometheo Deucalion cistam fabricatur, qua diluvio facto et omni Graecia inundata cum coniuge incolumis servatur. Ita demum fabula ad finem perducitur. Deucalion a Jove, quem bove mactato placavit, quidquid demum maxime libitum fuerit, poscere iubetur. Preces igitur suas Jovi oblaturum illum fecerat Epicharmus loco illo, quem una vocula significavit Becker. anecdot. I. p. 90. *Δεούμεθα ἀντὶ τοῦ δεηθησόμεθα. Ἐπίχαρμος ἐν Δευκαλίωνι.* Itaque ille, ut humanum genus restituat, Jovem precatur. Quo iubente lapides super capita transiiciunt Pyrrha et Deucalion. Unde demum novi homines exoriuntur. Neque haud scio, an recte ad miram istam hominum originem ab Epicharmo descriptam referam scholion ad Pindari Ol. IX. v. 68. *καὶ ὁ μὲν 'Επίχαρμος ἀπὸ τῶν λίθων λαοὺς τοὺς ὄχλους φησὶν ὠνομάσθαι.* Cf. Harles. de Epicharmo. p. 64.

6. *Διόνυσοι.* Hanc fabulam commemoratam habes ab uno Athenaeo lib. IV. p. 158. c. Cf. Creuzer. comment. de causis rerum Bacchic. p. 3.

7. *Ἥβης γάμος.* Haec fabula nunc quidem omnium longe est celebratissima, tum ob reliquiarum multitudinem, tum ob argumenti festivitatem quandam. Eadem, quum et editionis tempore reliquas aliquantum antecesserit, ad naturam Megarensium comoediarum prae ceteris appropinquasse videtur. Id enim ut censeam, facit repetita fabulae huius pertractatio, qua facta eam alio etiam titulo *Μουσῶν* indito Epicharmus denuo edidit. Ita enim de ite-

rata hac fabulae editione Athenaeus lib. III. p. 110. b. Ἐπίχαρμος δὲ ἐν Ἥβης γάμῳ κἂν Μούσαις — τοῦτο δὲ τὸ δρᾶμα διασκευή ἐςι τοῦ προκειμένου — ἄρτων ἐκτίθεται γένη. Cf. Casaubon. not. ad h. l. Schweighaeuser. anim. tom. III. p. 263. Emendavit igitur fabulam Epicharmus, postquam priore eius editione tanquam prima in comoediis perscribendis rudimenta posuit, postmodo ita, ut aut omni argumento aut aliquot eius particulis, quae minus placuissent, limam admoveret. Nisi quis hoc dicet, fabulam hanc tantopere Siculis placuisse, ut Epicharmus eam iterum ad incudem revocatam et diligentissime expolitam denuo ediderit. Sed eo consilio scriptores quidem prosarios, neque vero fabularum auctores ad opera sua iteratam polituram adhibuisse scio. Unde demum venerit, ut priore fabulae nomine non servato Musas dixerit alteram eius editionem Epicharmus, explicare non est difficile. Nimirum Musas, quae piscatricium personas sustinebant, in fabula primum edita non comparuisse ut censeam animo non inducam. Altera igitur editione partes illas maxime, quae ad Musas pertinebant, ille ita emendavit, ut pleniores fierent, et iocosiores et ad totum fabulae argumentum magis accommodatae.

Nullius fere comoediae Epicharmeae tanta fragmentorum copia, quanta huius etiamnum superest. Unus enim Athenaeus plus quadraginta asservavit, quibus et ex aliis auctoribus aliquot addere licet. Sed nescio, qua mala sorte acciderit, ut cuncta fere illa et ab Athenaeo et ab aliis allata fragmenta ad unum comoediae actum eumque ultimum pertineant, quo nuptiales Hebae epulae fuerunt

descriptae. Etenim versiculis istis nil nisi piscium, avium, concharum, carnium, panum genera diversissima enumerata habemus. Quapropter qui illos sunt elocuti, de coena aliqua sermocinari debuisse quivis intelligit. Atque alios pronuntiatos esse diceres a convivis aliquot, quos iam ante coenam institutam de magnifico eius apparatu colloqui iuvaret. Quales sunt, quos asservavit Athen. VII. p. 282. b. VII. 320. c., 321. b. IX. p. 398. d. VII. 283. e. III. 105. a. b. Alii autem referendi esse videntur ad sermunculos eorum, qui post coenam dulcissimorum ferculorum multitudinem memoria repetere conantur. Cf. Athen. III. 91. c., 85. c. VII. 312. c., 326. e., 286. c., 309. e. Quodsi quis e meris istis fragmentis fabulam hanc cognoscere velit: is in toto comoediae argumento indicando haud multum sane profecerit. Cuius quidem summa qualis fuerit, optime et ex fabulae titulo et e notissima de Herculis et Hebae nuptiis narratione intelligitur. Ita enim Apollod. bibl. II. 7. 7. *Καιομένης δὲ τῆς πυρᾶς λέγεται νέφος ὑποστὰν μετὰ βροντῆς αὐτὸν εἰς οὐρανὸν ἀναπέμψαι. Ἐκεῖθεν δὲ τυχὼν ἀθανασίας καὶ διαλλαγεὶς Ἥρᾳ τὴν ἐκείνης θυγατέρα Ἥβην ἔγημεν.* Fabula igitur ita quin processerit, ne dubites. Hercules a patre invita Junone receptus deam Iuventutis procatur, quam ut ne acciperet, odio nondum deposito Juno impedimenta movet atque difficultates. Quibus haud dubie et fabulae *περιπέτεια* continebatur et conditiones iocosae adduci poterant. Verum uti omnes comoediae, ita et haec felici exitu finitur. Cedit igitur tandem Juno, neque modo cum Hercule reconciliatur, verum etiam suam ipsius filiam

ipsi desponderi patitur. Ita fiunt nuptiae. Magnificum apparatur convivium, quale in historia deorum non alterum postmodo extitit. In quo eximia est deorum voracitas; tanta enim ciborum et maxime piscium apponitur copia, ut plus ducenta fercula in fragmentulis ab Athenaeo allatis descripta etiamnum reperiamus. Verum et cetera, quae fieri solent, oblectamenta adsunt; neque inter Olympi incolas reperitur quisquam, qui festo nuptiali desipere nolit. Cf. supra p. 242. a me dicta. Ut breviter ultimum fabulae actum designem: rerum divinarum ordo ita compositus exhibebatur, sive potius comico ludibrio perversus, ut summum rerum universarum finem in edendo et bibendo positum conspiciamus.

Consilium autem, si quis ex me quaerat, quo mirabilem hanc fabulam concinnaverit Epicharmus, equidem et aliorum et meam ipsius de hac re coniecturam afferre non dubito. Fuerunt enim, qui aulam Hieronis, regis Syracusii, quocum Epicharmus familiariter vivebat, in Olympum esse translatum censerent, ita ut coelesti illa comissatione Hieronis et aulicorum vita voluptaria sit denotata. Cf. Harles. de Epicharmo. p. 46. Mueller. Dor. II. p. 354. Neque istud in rege deridendo artificium indignum sit poeta, quem vafrum et acutum fuisse, atque audacius se aliquando in tyrannum Syracusium gessisse aliunde novimus. At, qui ita sentiunt, utrum haec fabula Syracusis primum, an Megaris edita fuerit, incertum esse non cogitant. Alii vero fieri potuisse censent, ut eodem consilio et eadem petulantia, qua postea Aristophanes in Avibus et Lucianus in dialogis Epicharmus numina

popularia spectatorum ludibrio exponeret. Egregie enim sibi persuasisse illum, populi ista numina ad inanes fictiones pertinere. Neque hos verum dixisse persuasissimum mihi habeo. Etenim qui ludiones iam ante Epicharmum fabellas apud Dorienses edere inceperant, eos ad deorum popularium cavillationem argumenta plerumque accommodasse supra edocui. Nimirum insita quadam Doriensibus petulantia factum est, ut ipsis rebus divinis ad comicas rationes traductis maxime delectarentur: non quo veros istiusmodi iocos existimarent, sed quod verum rerum ordinem mente certe et cogitatione aliquando invertere summopere iuvabat. Quorum quidem antiquitus institutum Epicharmus quum et in hac comoedia esset sequutus: rerum divinarum et humanarum universitatem ita inversam exhibuit, ut non amplius a sapientia numinis divini, verum a gula atque ventre pendere videretur.

8. *Ἥφαιςος ἢ Κωμαςαί.* De argumento huius fabulae, quum in universum supra satis disputaverim, nil fere habeo, quod addam. Nisi forte hoc addendum est, Epicharmum neque in hac comoedia recessisse a consuetudine illa sua, qua epularum et compotationum descriptiones plurimis fere fabulis inseruisset. De convivio igitur aut parando aut parato colloquebatur ille, cuius versiculus est iste ab Athenaeo allatus lib. IX. p. 389. a.

Σηπίας τ' ἆγον νεοῦσσας πέρδικάς τε πετομένους.

Nimirum comissatio illa, quae in ultima fabulae particula edebatur, convivium aliquod a comissatoribus institutum sequuta demum esse videtur.

9. *Κύκλωψ.* De Cyclope quum Siculi multas atque varias haberent narratiunculas: tum de amore eius in Galateam historia apud illos fuisse videtur vulgatissima. Cuius quidem rei luculentum exemplum habes Theocriti idyll. XI. Sed et ante Theocritum amores istos Polyphemi carminum argumenta fecerant poetae Siculi. Quale est quod Philoxenus dithyramborum poeta perquam antiquus fabulam ediderat, qua Cyclops Galateam amans ridebatur. Ita enim scholiasta ad Aristoph. Plut. v. 290. *Φιλόξενος δὲ ὁ διθυραμβοποιὸς ἐν Σικελίᾳ ἦν παρὰ Δωριεῦσι. φεύγων δὲ ἐκεῖθεν ἦλθεν εἰς τὰ μέρη Κυθήρων. καὶ ἐκεῖ δρᾶμα Γαλατείαν ἐποίησεν, ἐν ᾧ εἰςήνεγκε τὸν Κύκλωπα ἐρῶντα τῆς Γαλατείας.* Quocum omnino congruit scholiasta Theocriti idyll. XI. v. 1. *καὶ Φιλόξενος ποιεῖ τὸν Κύκλωπα παραμυθούμενον ἑαυτὸν ἐπὶ τῷ τῆς Γαλατείας ἔρωτι κ. τ. λ.* Cf. Valkenar. ad Adoniaz. p. 406. Eichstad. de dram. comicosat. p. 65. Accedit quod et alii comoediae scriptores Polyphemi amores fabularum argumenta fecerant. Cf. Valkenar. l. l. Quae cum ita sint, saepe dubitavi, utrum et Epicharmum eandem, quam illos historiam pertractasse statuerem, an qui notissimam illam Homeri de Cyclope narrationem hac fabula traductam fuisse censent, eorum sententia magis ad verum accederet. Quibuscum ut faciam, aliquantum me movent duo, quae supersunt, huius fabulae fragmenta. Alterum enim, quod reperies apud Athenaeum lib. IX. p. 366. b. hoc est: *καὶ Ἐπίχαρμος ἐν Κύκλωπι.*

Χορδαί τε ἁδὺ ναὶ μὰ Δία χὼ κωλεός.

Vides hic aliquem farcimina et pernam, neque vero Galateae formositatem praedicare. Alterum

utem idem Athenaeus lib. XI. p. 498. e. servavit:
μοίως καὶ Ἐπίχαρμος ἐν Κύκλωπι.

Φέρ' ἐγχέας ἐς τὸ σκύφος.

Quod posterius utique, haud multum abest, quin omponam cum Homerico versiculo, qui est dyss. IX. 355. Ibi enim ita Cyclops vino Ulyssis ehementer delectatus:

Δός μοι ἔτι πρόφρων καί μοι τεὸν οὔνομα εἰπέ.

10. Λόγος καὶ Λογεῖνα. De hac fabula omnia unt incerta. Neque ipsa illa, quam posui, tituli criptura, utrum vera sit, diiudicare ausim. Etenim qui scriptores hanc fabulam laudarunt, omes alteram tituli particulam καὶ Λογείνᾳ diversiode scripserunt. Ita apud ipsum Athen. III. p. 06. e. vulgata lectio est καὶ λογίναι; apud eundem ib. VIII. p. 338. c. καὶ λόγον εἶναι. Cui quidem uplici scripturae lectionem καὶ λογείνᾳ, quum roxime accedere vidisset, commendare conatus st Casaubonus in addendis ad h. l. Cf. Schweigaeuser. animadv. tom. II. p. 231. At graeca non st vox Λογεῖνα. Hephaestio contra in enchiridio . 45. ed. Gaisford. καὶ Λόγγινος habet. Cuius choliasta apposuit haecce: ὁ Ἐπίχαρμος τὸ οἰκεῖον ρᾶμα οὕτως ἐκάλεσε Λόγον καὶ Λογίαν. Unde qui Λόγος ἢ Λογικὴ sive Λογικαὶ efficere sunt conati — f. Hermann. de metris p. 298. Fabricii bibl. graec. om. I. p. 677. — minime satisfaciunt. Sed quaecumque demum vera scriptura fuit: erant illa uo nomina personarum mythicarum, quas e more omicorum finxerat Epicharmus. Rem enim inter eos in hac fabula agi liquido intelligitur e verculo apud Athenaeum lib. VIII. p. 238. c., quo

aliquis, se a Jove ad coenam invitatum esse, amico ostentat. Est autem hic:

Ὁ Ζεύς μ' ἐκάλεσε, Πέλοπί γ' ἔρανόν γ' ἑςιῶν.

Ad ipsam autem coenam illam forsitan sit referendum alterum fragmentum ab Athenaeo lib. III. p. 106. e. allatum. Quo vero pertineant versiculi iambici illi, quos laudavit Hephaestio. l. l., incertum est.

11. *Ὀδυσσεὺς αὐτόμολος.* Huius fabulae argumentum, quo Ulyssis, qui, cum mendicum se esse simularet, ignotus omnibus in ipsam Troianorum urbem irrepserat, insidiae et machinationes edebantur, aut ex Homeri aliqua narratione aut ex alio quopiam poëta epico erat adumbratum. Saepe cogitavi auctorem parvae Iliadis, quem hanc de Ulysse historiunculam pertractasse refert Proclus in chrestom. argum. parv. Iliad. *Πτωχεία, Ὀδυσσεὺς δὲ αἰκισάμενος ἑαυτὸν κατάσκοπος εἰς Ἴλιον παραγίνεται, καὶ ἀναγνωρισθεὶς ὑφ' Ἑλένης περὶ τῆς ἁλώσεως τῆς πόλεως συντίθεται. κτείνας δέ τινας τῶν Τρώων ἐπὶ τὰς ναῦς ἀφικνεῖται.* Sed eiusdem fere rei narrationem brevissimam Homerus quoque contexuit Odyss. lib. IV. v. 242. seqq. Ita enim ibi Helena ad Menelaum sermocinatur:

Πάντα μὲν οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι, οὐδ' ὀνομήνω,
Ὅσσοι Ὀδυσσῆος ταλασίφρονός εἰσιν ἄεθλοι.
Ἀλλ' οἷον τόδ' ἔρεξε καὶ ἔτλη κάρτερος ἀνὴρ
Δήμῳ ἔνι Τρώων, ὅθε πάσχετε πήματ' Ἀχαιοί.
Αὐτόν μιν πληγῇσιν ἀεικελίῃσι δαμάσσας
Σπεῖρα κάκ' αμφ' ὤμοισι βαλὼν, οἰκῆϊ ἐοικώς
Ἀνδρῶν δυσμενέων κατέδυ πόλιν εὐρυάγυιαν.
Ἄλλῳ δ' αὐτὸν φωτὶ κατακρύπτων ἤϊσκε
Δέκτῃ, ὃς οὐδὲν τοῖος ἔην ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν.
Τῷ δ' ἴκελος κατέδυ Τρώων πόλιν. κ. τ. λ.

Initio igitur huius fabulae Ulysses toto corpore deturpatus Troiam urbem ingreditur. Cuius vias, arces, munimenta dum explorandi causa perlustrat, obviam factis deque conditione ipsius interrogantibus mendacia proponit, quibus personam suam occultare queat. Itaque falluntur, neque Ulyssem intra moenia suae perniciem ipsis parare illi persentiscunt. Huc forsitan pertineat particula colloquii ab Athenaeo allata lib. IX. p. 475. e., quo se, quum porcum amisisse dixerit, subulcum mentitus esse aliquis videatur. *Δέλφαξ. Ἐπίχαρμος τὸν ἄῤῥενα χοῖρον οὕτως καλεῖ.*

Δέλφακά τε τῶν γειτόνων
Τοῖς Ἐλευσινίοις φυλάσσων δαιμονίως ἀπώλεσα
Οὐχ' ἑκών· καὶ ταῦτα δή με συμβολατεύειν ἔφη
Τοῖς Ἀχαιοῖσιν, προδιδόμεν τ' ὤμνυέ με τὸν δέλφακα.

Cf. Zonarae lexic. s. v. *δέλφαξ.* Itaque demum ab omnibus tanquam miser homunculus praetermissus ad Helenam pervenit, atque ab ea illico agnoscitur. Initio quidem ille se Ulyssem esse vehementer negat, sed mox mulieri fidem danti consilia sua aperit. Ad hunc autem Helenae cum Ulysse congressu referendi haud dubie sunt versiculi, quos ex hac comoedia attulit Stobaeus floril. tit. LVIII. 7.

Ἁ δ' ἡσυχία χαρίεσσα, γυνά,
Καὶ σωφροσύνας πλατίον οἰκεῖ.

Tum Ulyssem benigne in domum suam receptum lavacro, unguentis, epulis reficit ipsa Helena. Epicharmus epulas certe, in quibus describendis mirifice sibi placuit ille, diserte significavit apud Athenaeum lib. III. p. 121. b. *Ἐπίχαρμος μνημονεύει ἐν Αὐτομόλῳ Ὀδυσσεῖ οὕτως·*

ποτιφόριμον τὸ τέμαχος ἦν
Τὸ θυμομελανδρυῶδες.

Machinationem denique illam, qua Troia esset expugnanda, Helenae aperuit, atque ipsa qua ratione Graecis opitulari queat, ostendit. Locum illum enim, quo de insidiis in Troianos struendis sermo erat, legisse videtur grammaticus Beckeri anecdot. tom. I. p. 82. s. v. *Ἀνυπόδετος. Ἐπίχαρμος ἐν Ὀδυσσεῖ αὐτομόλῳ. Ἐνεδρεία ἐνέδρα.* Hisce omnibus autem, vide, quantum congruant versus Homerici Odyss. IV. 249. seqq.

οἱ δ' ἀβάκησαν
Πάντες. ἐγὼ δέ μιν οἴη ἀνέγνων τοῖον ἐόντα,
Καί μιν ἀνηρώτων. ὁ δὲ κερδοσύνῃ ἀλέεινεν.
Ἀλλ' ὅτε δή μιν ἐγὼ λόεον καὶ χρῖον ἐλαίῳ,
Ἀμφὶ δὲ εἵματα ἕσσα, καὶ ὤμοσα καρτερὸν ὅρκον,
Μὴ μὲν πρὶν Ὀδυσῆα μετὰ Τρώεσσ' ἀναφῆναι·
Πρίν γε τὸν ἐς νῆάς τε θοὰς κλισίας τ' ἀφικέσθαι.
Καὶ τότε δή μοι πάντα νόον κατέλεξεν Ἀχαιῶν.
Πολλοὺς δὲ Τρώων κτείνας ταναήκεϊ χαλκῷ
Ἦλθε μετ' Ἀργείους.

Cf. Procl. l. l. Neque si ad ultimos illos Homeri versiculos et Procli indicium summam fabulae Epicharmeae conficere licet, dubitandum est, quin actio illa, qua abiens Ulysses stragem Troianis paravit, finem fabulae effecerit.

12. *Ὀδυσσεὺς ναυαγός.* Narrationes de Ulysse eiusque rebus gestis tam variae erant atque ita comparatae, ut scriptores comoediae quam plurimi inde fabularum argumenta repeterent. Habebat enim antiquitas Ulysses Cratini (cf. Athen. II. 68. c.), Ulyssem Theopompi (schol. ad Aristoph. vesp. 1337.), Ulyssem Amphidis (Athen. lib. XV. p. 691. b.),

Ulyssem Alexandridae (Athen. VI. 227. b.), Ulyssem Chaeremonis (Athen. XIII. p. 608. e.), Ulyssem textorem Alexidis (Athen. VI. p. 240. e.), Eubuli denique Ulyssem vel Panoptas (Athen. XI. p. 478. c.) Itaque noster duarum etiam fabularum, quarum alteram modo pertractavi, altera Ὀδυσσεὺς ναυαγὸς est, argumenta ex historia Ulyssis desumsit. Etenim in unam fabulas hasce duas confundere non debebat Harles, de Epicharmo p. 63., quum verbis Orionis in lexico etym. p. 139. ed. Sturz: Ἐπίχαρμος Ὀδυσσεῖ male intellectis se in errorem perduci passus est. Imo vero negligentia Orionis factum est, ut epitheton ναυαγὸς sive αὐτόμολος omiserit. Ipsae autem illae fabulae tantum inter se discrepant, quantum inter se distant urbs Troia et Ithaca insula, ubi res utriusque fabulae aguntur. Ulysses igitur, ita enim fabulae huius argumentum erat concinnatum, naufragio facto ad insulam patriam appellitur. Huc et titulum fabulae ναυαγὸς pertinere censeo et fragmentum, quod extat apud Pollucem onum. X. 134. καί ἐςι τοὔνομα τὸ ὀρθίαξ ἐν Επιχάρμου Ὀδυσσεῖ ναυαγῷ. Vocabulum autem ὀρθίαξ inferiorem mali partem significare scias. Itaque ille, quum inopia, fame aliisque malis sit afflictus, ad propinquam subulci Eumaei aulam contendit, ut calamitatis suae levamina quaedam nanciscatur. Cf. Homer. Odyss. ξ. v. 45. seqq. Rem igitur in agro Ithacensi ad aulam Eumaei pastoritiam agi certum est. Quocirca et hominum rusticorum actiones quaedam quin in hac fabulae parte fuerint repraesentatae, equidem vix dubito. Cf. Athen. XIV. p. 619. b. Ipse vero Ulysses quum multis

de rebus cum subulco Eumaeo colloquia instituat, tum de rebus etiam philosophicis sermocinari exorditur: Atque hoc quidem loco inserenda esse videtur illa ad Eumaeum de natura rerum disputatio, cuius specimen satis copiosum conservavit Diog. Laert. in vita Platon. seg. 78. Itaque ille omnibus ignotus, quum omnes satis pertentasse sibi visus esset: tandem, ut a filio agnosceretur, efficere debebat. Cf. Homer. Odyss. π. 187. seqq. Atque hac quidem parte iucundissima, quae in ἀναγνωρίσει erat posita, optime fabula finiri poterat.

13. Σειρῆνες. Haec fabula ut Epicharmi semel tantum laudatur ab Athenaeo lib. VII. p. 277. f. Verum quum nil praeter fragmentum illud ibi allatum supersit, de argumento certi quidquam statui nequit.

14. Σκίρων. E Scirone comoedia fragmentulum attulit Pollux onum. X. 23., 86. Neque vero dubitandum est, quin historiam illam satis notam de Scirone Procruste et Theseo, qui eum pervicit, hac fabula Epicharmus pertractaverit. Cf. Mueller. Dor. II. p. 364.

15. Σφίγξ. Huius comoediae nomen praeter Athenaeum lib. III. p. 76. c. servavit Stephanus Byzant. s. v. Χιτώνη. Sed quod fabulae nomine non apposito fragmentum Athenaeus lib. II. p. 49. c. attulit, id ad eandem illam fabulam pertinuisse supra monui. Quod ut statuerem, non modo fecit nomen Oedipi, quod in versiculo ultimo reperitur; sed multo magis etiam iocus iste de mensa tripode, quae quadrupes erat. Eo enim cavillationem quandam aenigmatis illius, quod a Sphinge

Oedipo esse propositum dicebatur, contineri arbitrabar. Cf. Schweighaeuser. animad. tom. IX. p. 104. Sed de summa fabulae accuratius disputare per reliquiarum paucitatem non licet.

16. *Τρῶες*. Cum praeter Zenob. proverb. IV. 7. solus Macrobius, qui unicum versiculum attulit, huius fabulae mentionem fecerit Saturn. V. 20.: de argumento frustra quaeres.

17. *Φιλοκτήτης*. Ex hac comoedia iam supra attuli versiculum, qui extat apud Athenaeum lib. XIV. p. 628. b. Eadem commemoratur ab Athenaeo lib. IX p. 372. f. Neque dubitandum est, quin lectio depravata, apud Pollucem X. 71. *Ἐπίχαρμος μέντοι ἐν Φιλοκνίδῃ* in *Φιλοκτήτῃ* sit immutanda. Displicet autem coniectura Hemsterhusii ad h. l., qui *Φιλοκνίδην* illum in *Φιλοκλίνην* immutari maluit. At de Philocline nil prorsus aliunde mihi innotuit. De argumento fabulae vix certi quidquam e tribus istis, qui supersunt, versiculis efficies, praeterquam quod et in hac comoedia convivatoribus et potatoribus multum negotii fuisse videtur.

Iam vero restat, ut quae ad alterum genus pertinent, fabulas enumerare incipiam. Qua quidem in re quum neque reliquiis affatim copiosis, neque indiciis aliunde petendis adiuvemur: de singularum fabularum argumentis dicere quidquam vix potero. Singulas igitur recensere sufficiat.

1. *Ἀγρωστῖνος*. Hanc voculam Siculam positam esse pro *ἀγροῖκος* iam monuit Casaubonus in notis ad Athen. p. 232. Laudatam autem hanc fabulam invenies ab Athenaeo lib. III. p. 120. d. XV. p. 68-

b. Hesych. s. v. κόλαφος. Eustath. ad Odyss. p. 1817. l. 51. ed. Basil.

2. Ἁρπαγαί. Vide, quae disputavi de hac fabula p. 264.

3. Γᾶ καὶ Θάλασσα. Huius fabulae mentionem fecit Aelianus hist. anim. lib. XIII. c. 14. Atque complures eius reliquias apposuit Athenaeus lib. VII. p. 313. b., IX. p. 370. b., III. p. 106. e., XIV. p. 646. f. et alibi.

4. Δίφιλος. Vide Fulgentii mythol. I.

5. Ἐλπὶς ἢ Πλοῦτος. Cf. Athen. VI. p. 235. b., IV. p. 139. b., Pollux X. 36. 161., Becker anecdot. I. p. 105. lexicon gr. in Montefalc. bibl. Coisl. p. 483.

6. Ἑορτὰ καὶ Νᾶσοι. Cf. p. 264.

7. Ἐπινίκιος. Vide Hephaest. enchir. p. 45. ed. Gaisf.

8. Ἡράκλειτος. Becker anecd. I. p. 83.

9. Θεᾶροι. Hanc fabulam commemoravit Athenaeus III. p. 107. f., VIII. p. 362. c., IX. p. 408. d.

10. Μεγαρίς. Vide Hephaest. enchir. p. 14. Gaisf. Athen. VII. p. 285. c., IX. p. 366. b.

11. Μῆνες. Cf. Hesychius s. v. Σκωρνυφίαν et Σκυφοκώνακτος.

12. Ὀρύα. Vid. Athen. III. p. 94. f., Hesych. s. v. Eustath. ad Odyss. p. 1915. l. 21. ed. Basil. Est autem ὀρύα farciminis quoddam genus, quod Siculi edere consueverant. Hesychius enim Ὀροῦα, inquit, χορδὴ καὶ σύντριμμα πολιτικὸν, εἰς ὃ Ἐπιχάρμου δρᾶμα. Accedit, quod Athenaeus l. l. χορδάς ab Epicharmo ὀρύας dictas esse testatur.

13. *Περίαλλος*. Hac fabula haud dubie Epicharmus mores hominis descripsit, qui ceteris praestat aut ceteris praestare sibi videtur. Ita titulum fabulae recte est interpretatus Casaubonus in not. ad Athen. p. 262. Qui vero huius fabulae duo fragmenta servavit Athenaeus lib. IV. p. 139. b. IV. p. 185. e., loco posteriori hunc versiculum exhibet:

Σεμέλα δὲ χορεύει καὶ ὑπαυλεῖ κ. τ. λ.

At vero deae Semelae hac quidem in fabula vix locum fuisse quivis videt. Sed eam ad posteriorem hunc fabularum censum vocare non dubitavi, ut qui cum totum illum Athenaei locum, tum nomen *Σεμέλα* depravatum esse cognovissem. Cf. Schweighaeuser. animadv. tom. II. p. 674. seqq.

14. *Πέρσαι*. Vide Polluc. onom. IX. 6. 92. Etymol. magn. s. v. *ἀσκωλιάζω*.

15. *Πίθων*. Hanc fabulam laudatam videbis apud Polluc. on. X. 46. 179.

16. *Τριακάδες*. Cf. Hesych. s. v. *Σκωρυνφίαν*.

17. *Χορεύοντες*. Cf. Hephaest. enchir. p. 45. ed. Gaisf.

18. *Χύτραι*. Vide Polluc. onum. IX. 6., 79.

Haec fere sunt, quae de fabularum Epicharmiarum natura atque argumentis e reliquiis aliisque indiciis probabiliter efficere potui, paucissima illa quidem, sed tam multa, ut veterum de comoedia Epicharmia iudicia aliquatenus ponderare queas. Verum enimvero praestantissimum quoddam comoediae genus poeta iste invenit, expolivit, perfecit. Quis enim est, quin felicissimum in fabulis inveniendis et amplificandis ingenium et iucundis-

simam in rebus mythologicis traducendis festivitatem et summam in hominum moribus denotandis veritatem, et mirabilem quandam in sententiis insertis sapientiam, et in tota denique fabularum pertractatione satis artificii etiamnum in reliquiis licet paucissimis deprehendat! Itaque non iuste fecerunt, qui Epicharmiam comoediam cum antiqua illa Atheniensium comoedia componere atque ad eam vituperare sunt conati. Uti enim quodvis terrae solum natura sua ita esse comparatum videmus, ut proprium quoddam atque ab aliis diversum plantarum sive frugum genus progignere soleat: ita inter Siculos istos homines et ingeniosissimos et cultura satis nobilitatos comoediae genus quoddam ab Attica illa omnino quidem diversum sed et ipsum egregium atque satis politum extitit. Verissime igitur de fabularum Epicharmiarum praestantia disputasse videtur Mueller. Dor. II. p. 359., qui laudes earum hasce est effatus: *Daſs die Behandlung der Epicharmischen Comoedie in ihrer Art vollendet, bezeugt die groſse Achtung der Alten, namentlich Plato's, und wenn die Attische Comoedie hernach in komischer Satire und Persiflage noch mehr geleistet, so war des Sikulers Streben allgemeiner und hoeher. Die Attiker waren, nach Aristophanes zu urtheilen, fast einseitig praktisch, und eine gewisse im Leben entstandene Ueberzeugung, was dem Volke fromme, bildete den Anfangspunkt ihrer Komik. Bei Epicharm lag, wenn die wahrgenommenen Elemente seiner Poesie organisch verbunden waren, eine philosophische Weltansicht im Mittelpunkt, deren Erhabenheit der Komik erst ihre wahre Freiheit und Heiterkeit geben konn-*

te, und dabei entbehrte die Lebensbetrachtung auch nicht des scharfen und eindringenden Verstandes, der die Siculer charakterisirt.

Quae cum ita sint, non in sola admiratione artis et ingenii Epicharmii substitisse aequales, verum etiam mox ad imitationem eius processisse iustissime suspicamur. Vel si cui omnimoda eius imitatio non esse concedenda videatur: at tales ille comoediae emendationes in lucem primus protulerat, ut qui non multo post ad idem poesis genus excolendum accederent, eas ad opera sua transferre vix abstinerent. Ac maxime Athenienses antiquae comoediae poetas a me significari nemo est quin sentiat. Quos quidem, cum non multo ante quam primae Epicharmi comoediae essent editae, ignoti omnino ac rudes rure delituissent — Cf. Aristot. poet. V. 3. — neque tamen multo post i. e. circa Ol. LXXIV. Athenis iustas fabulas edere incepissent: nonnulla ab eo didicisse atque ad eius exemplum comoedias suas accommodasse opinor. Hanc autem in coniecturam equidem illico sum delapsus, quum seriem illam antiquissimorum comoediae poetarum inspexissem, qualem adumbravit anonym. apud Kuster. Aristoph. p. XII. Primus enim in ea positus est Epicharmus, sequuntur Cratinus, Crates, Eupolis, Aristophanes, alii. Ipsum igitur illum grammaticum audiamus: *καὶ φέρεται αὐτῶν* (sc. *τῶν τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας ποιητῶν*) *πάντα τὰ δράματα τξέ σὺν τοῖς ψευδεπιγράφοις. τούτων δὲ εἰσιν ἀξιολογώτατοι Ἐπίχαρμος, Μάγνης, Κρατῖνος, Κράτης, Φερεκράτης, Φρύνιχος, Εὔπολις, Ἀρισοφάνης.* Quibus de verbis iam semel monui, Epicharmum Atheniensibus antiquae comoediae poetis esse ad-

numeratum, non quod eadem prorsus cum illis comoediarum argumenta pertractasset: sed quia et aetate et alio quodam nexu cum iis esse coniungendus videretur. Nimirum argumenta ipsa, licet Siculorum et Atticorum comoedorum essent diversissima: tota tamen comoediae conformandae ratio a Siculis Epicharmo et Phormide inventa imitationem quandam admittebat. Etenim, quod multis exemplis edoceri queat, qui primi in genere aliquo poesios excolendo operam suam posuerunt, fieri non potest quin mox insequentibus, licet emendanda nonnulla et perficienda reliquerint, multis aliis tamen in rebus viam praeiverint, qua facilius summam in arte ea praestantiam consequi possint.

At dicat aliquis, de Siculis et Atheniensibus comoediae nexum eiusmodi vix esse admittendum; quippe fieri potuisse, ut poetae utrique casu fortuito simul ad eandem comoediae perficiendae rationem sint delapsi. Sed ad ea, quae coniecisse de nexu hoc Siculam et Atticam comoediam intercedente modo indicavi, confirmanda accedunt testes duo certissimi neque ullo modo repudiandi. Alter igitur est Aristoteles, qui e Sicilia ad Athenienses comoediam translatam esse diserte testatur poet. V. 5. *τοῦ μὲν οὖν μύθους ποιεῖν Ἐπίχαρμος καὶ Φόρμος ἦρξαν· τὸ μὲν οὖν πρῶτον ἐκ Σικελίας ἦλθεν.* Alter est autem Themistius, qui orat. XIX. p. 337. haecce habet: *ἐπεὶ κωμῳδία καὶ τὸ παλαιὸν ἤρξατο μὲν ἐκ Σικελίας. ἐκεῖθεν γὰρ ἤσθην Ἐπίχαρμός τε καὶ Φόρμος. κάλλιον δὲ Ἀθηνάζε συνηυξήθη.* Cui quidem, cum in patria Athenis laudandis plerumque versetur, comoediam a Siculis inventam ab Atheniensibus omnino esse perfectam libentissime

concedamus. Sed quid tandem id esse dicamus, quod in argumentorum diversitate a Siculis poetis Athenienses repetiverunt? Id ipsum satis declarasse mihi videtur Aristoteles l. l. Verba enim praecedentia τοῦ μὲν μύθους ποιεῖν Επίχαρμος καὶ Φόρμος ἦρξαν, dubitari non sinunt, quin ipsa illa μύθων ποίησις, egregia utique comoediae emendatio a Siculis ad Athenienses fuerit translata. Quae quanam in re posita fuerit, id supra p. 71. seqq. ipsius Aristotelis verbis et appositis exemplis omnino edocuisse mihi videor. Cf. Hermann. ad l. l. Casaubon. de poesi. sat. p. 1 p. 16. Eum igitur, ut sententiam de hac re supra prolatam denuo proferam, μύθους ποιεῖν. i. e. iustas fabulas componere dicimus, qui actionibus compluribus apte inter se coniungendis tantae magnitudinis fabulam efficit, ut initium eius, implicationem, solutionem omnino perspiciamus.

Res igitur ita se habet. Qui ante Epicharmi tempora comoedias apud Athenienses docuerunt: hos omnes ad exempla Megarensium ludicra minuta atque impolita proposuisse certum est. Sed ex quo tempore per Epicharmum comoediae emendatio facta est: fabulas suas illi et amplificare et artificiosius concinnare inceperunt. Quanquam id ita fecerunt, ut τὴν ἰαμβικὴν ἰδέαν i. e. singulorum hominum cavillationem asservarent. Cf. Aristot. l. l. At in ea re non substiterunt. Mox enim et ad eadem argumenta, quae Siculae comoediae erant, pertractanda nonnulli Atheniensium poëtarum accesserunt. Quorum unum nominatim consignavit Aristoteles l. l. Ibi enim, quum iustam fabulae pertractationem ab Epicharmo inventam

esse dixerit; qui primus ad generalem quandam morum descriptionem comoediae materiem revocasset; inter Athenienses extitisse Cratetem confirmat. *Τῶν δὲ Ἀθήνῃσι Κράτης πρῶτος ἦρξεν ἀφέμενος τῆς ἰαμβικῆς ἰδέας καθόλου λόγους ἢ μύθους ποιεῖν.* Quibus in verbis cavendum est, ne *καθόλου λόγους ἢ μύθους ποιεῖν* idem esse, quod *μύθους ποιεῖν* arbitreris. Hoc enim iustam fabulae compositionem: illo autem comoediam a singulorum hominum irrisione alienam designari scias. Cf. Meineck. quaest. scaen. p. 20. Prae reliquis igitur, quorum nomina non attulit Aristoteles, Crates in novo hoc comoediarum genere excolendo ad Epicharmi exemplum se conformavit. Accedit autem ad fidem huic meae sententiae faciendam, quod personas quasdam comicas, quas iam Epicharmus in comoedias suas introduxerat, in suas postea transtulit Crates. Cuius quidem rei exemplum memorabile habes personam ebrii, quam post Epicharmum in scaenam primum induxisse Cratetem testatur Athen. X. p. 249. a. *ἀγνοοῦσί τε οἱ λέγοντες πρῶτον Ἐπίχαρμον ἐπὶ τὴν σκηνὴν παραγαγεῖν μεθύοντα, μεθ' ὃν Κράτητα Γείτοσιν.* Cf. Meineck. l. l.

Plautum deinde imitatoribus Epicharmi esse addendum iam ab aliis saepe monitum est. Quod qui argumento evincere sunt conati: provocarunt ad ipsius Plauti versiculos, qui sunt initio prologi Menaechm.

Atque adeo hoc argumentum Graecissat, tamen
Non Atticissat, verum Sicilissitat.

Ac verba illa *argumentum Sicilissitat* praeeunte Mureto Var. Lect. III. 13. interpretes Plauti ita sunt interpretati, ut Plautum in modum Epicharmi

vocabula neque prorsus latina neque prorsus graeca saepissime usurpasse dicerent. Cuius quidem rei exemplum, quod mox sequitur, vocabulum *antelogium* esse. Alii vero illam Epicharmi imitationem in eo potius positam esse dixerunt; ut sermo Plautinus rusticitatem quandam et asperitatem prae se ferat, qua ad vulgarem hominum consuetudinem omnino accedere videatur. Cf. Huschkii anal. crit. in anthol. p. 89. seqq. At qui ita sentiunt, non cogitarunt illi, Plautum cum in omnibus prologis, tum et in illo, qui Menaechmis antepositus est, non de sermone suo, sed de ipsius argumenti sive fabulae natura, loco, auctore praevium indicium effari. Quapropter vero propius accessisse videatur Wachsmuthius, qui de personis graecis in Plauti comoed. quaedam disputavit in libello, cui titulus Humanist. Athen., vol. I. fascit. I. p. 161. seqq. Etenim censet ille, Plautum personas comicas atque ingenia hominum ita adumbrasse, ut rusticitate sua et iocositate ad Epicharmi exemplum potiusquam ad urbanitatem et elegantiam Menandream accederent. At neque hanc sententiam quamvis veram e versiculis istis Plautinis deducere ille debebat. Namque Epicharmi vel alius poetae Siculi imitationem Plautus loco illo omnino non significavit. Qui enim paulo ante praecedunt versiculi:

Atque hoc poetae faciunt in comoediis,
Omnes res gestas esse Athenis autumant,
Quo illud Graecum vobis videatur magis:
Ego nusquam dicam, nisi ubi factum dicitur —

hi, inquam, versiculi faciunt, ut omnino aliam interpretationem veram esse statuam. Nimirum hc

ait poeta, plurimos comoediae scriptores fabularum suarum res omnes Athenis esse actas gloriari. Hos igitur atticissare: se contra nunc quidem, cum historia Menaechmis fabula pertractanda Syracusis initium ceperit, atque maxime ad Syracusanos homines pertineat, sicilissitare.

Sed sine ulla dubitatione provocandum est ad Horatium, qui Plautum Epicharmi imitatorem fuisse, diserte satis iudicavit epist. II. 1. 58. seqq.

Dicitur Afrani toga convenisse Menandro,
Plautus ad exemplum Siculi properare Epicharmi,
Vincere Caecilius gravitate, Terentius arte.

Neque qua in re potissimum Epicharmi exemplum Plautus fuerit sequutus, e totius sententiae nexu diiudicare non licet. Etenim Horatii aequales quum artem Terentii insignem, elegantiam in Afranio plane Menandream, in Caecilio gravitatem quandam praedicarent: et in Plauto proprietates quasdam ab illis quidem multum diversas, sed tamen laudandas deprehenderant. Argumentorum enim illam dico iocositatem atque in iocis spargendis petulantium paene rusticam, quibus et ab illis multum differre et ad Epicharmum maxime accedere visus est. Quaenam autem sint fabulae istae — nam in quibusdam se alios esse sequutum poetas ipse Plautus profitetur — quaenam igitur sint illae, in quibus se ad exemplum Epicharmi potissimum accommodaverit, nunc quidem diiudicatu est difficillimum. Neque enim ad comparationem instituendam satis superest reliquiarum Epicharmi, neque ipsi tituli fabularum utriusque poetae congruunt. Neque vero titulorum ista discrepantia prohibet, quominus imitationem illam Plautinam

ad ipsas fabulas earumque argumenta pertinere censeam. Quum enim omnino fabulis, si quas e graecis scriptoribus transtulisset, titulum paulum diversum attribuere consuevisset: tum maxime illis, quas singulas e pluribus graecis concinnaverat, alia nomina excogitabat. Cf. interpret. Plauti.

Levioris autem momenti neque tamen prorsus contemnenda argumenta haec sunt. Inter fragmenta Parasiti pigri sive Lipargi, comoediae Plautinae deperditae unum est, quod cum versiculo quopiam Epicharmio aliquam habet similitudinem. Utrumque igitur apponam. Plauti verba haec sunt:

Inde bene appotus primulo crepusculo
Domum ire coepi.

Epicharmi autem, quos dixi, versiculi apud Athenaeum reperiuntur lib. VI. p. 236. e. atque ad comoediam Ἐλπὶς ἢ Πλοῦτος ita pertinent, ut teste eodem Athenaeo a parasito sint pronuntiati:

Κἤπειτα πολλὰ καταφαγὼν, πολλ᾽ ἐμπιὼν
Ἄπειμι . . .

Accedit, quod et in Milite glorioso comoedia Plautina duo versiculi reperiuntur, qui Siculam originem sapere videantur. Alter igitur est act. IV. scen. II. v. 73.

Tum argenti montes, non massas habet. Aetna
mons non aeque altus.

Sed miraberis, unde demum factum sit, ut cum res Ephesi agatur, cum monte Siculo Aetna heri sui divitias Palaestrio comparare studeat. Alter est autem in eiusdem fabulae act. I. sc. I. v. 24.

. . . et ego me mancupio dabo
Epityro, ut apud illum esuriam insane bene.

Jam vero nomine Epityri allusit poeta ad escam illam, quam homines Siculi pauperiores comedere consueverant. Forsitan igitur haec et alia multa ex Epicharmiis in duo istas fabulas Plautus transtulerit. Cf. Koepkii transl. Plaut. tom. II. p. 11. et 100. Sed haec, ut dixi, levia sunt.